PRISCUS
HIST:
BRVTAN

B

H. N. LEFTWICH.

HISTORIAE BRYTANNICAE DEFENSIO, IOANNE PRISEO EQVESTRIS ORDINIS BRYTANNO AVTHORE.



LONDINI,
Impreſſum in ædibus H. Binneman typographi,
impenſis Humfredi Toy.
ANNO. 1573.

HONORATISSIMO VIRO, GVLIELMO CECILIO BARONI DE BVRGHLEY, NOBILIS EQVESTRIS ordinis Gartherij Sodali, ſummoque Angliæ Theſaurario, Richardus Priſeus. S. P. D.

QVVM hiſtoria, lux veritatis, & humanæ vitæ magiſtra, à ſummis viris veriſsimè dicatur, qui de rectè ſcribendis hiſtorijs pręcepta tradiderũt, primam hanc legem, meritò mihi videntur ſtatuere, ne quid vel veri omittere, vel admiſcere falſi, in rebus geſtis narrandis, hiſtoricus audeat. Si enim hiſtoriæ veritatem detraxeris, nihil minus erit, quàm quod dicitur & amiſſo nomine, Poëticum ſeu fabuloſum figmentum, veriùs quàm hiſtoria dici debet. Et ideo Græcorum hiſtoricorum grauiſsimus, ſcriptum eleganter reliquit, eum qui de hiſtoria veritatem detrahit, pulcherrimi animantis oculos detrahere videri. Iuſtiſsima tamen fuit multorum à vetuſtis ſæculis in omni ætate querela, quoſdam hiſtoria-

rum ſcriptores antiquos & recentes, in hanc legem commiſiſſe. Alij enim metu, gratia, odio, vel fauore perſonarum aut gentium adducti, alij precibus aut præmijs diſtracti, alij autem nimia credulitate, errore, vel ignorantia lapſi, multa minus ex fide literarum monumentis, mandarunt. Nec vlla ætate defuerunt hiſtoricæ veritatis aſſertores, qui huiuſmodi leſæ aut ſuſpectæ fidei hiſtoricos, ingenua libertate coarguere ſunt auſi. In hac autem noſtra ætate quum Polydorus Vergilius (vir quidem haud contemnenda dicendi facultate præditus, & magnarum rerum ſcientia inſtructus) hiſtoriam ſuam Brytannicam, ſub auſpicijs Henrici octaui fœlicis memoriæ Regis, euulgaſſet, multi ſtatim antiquitatis Britannicæ ſtudioſi, non paucos deprehenderunt errores, quibus hiſtoria alioqui luculenta, deformatur. Quos quum ille admonitus corrigere nolebat, libris æditis, poſteritati teſtatos reliquerunt. Eorum in numero fuerunt, Leylandus & Balæus, qui in Brytannicis antiquitatibus erant ex diuturna & multiplici lectione exercitatiſsimi, quique vt diligentiùs eas inquirerent & certiùs cognoſcerent, Saluſtium & Thucydidem nobiliſsimos ſcriptores in hoc imitati, omnia celebriora Angliæ & Cambriæ loca peragrarunt. Inſignem quoque in hoc nauauit operam, Ioannes Caius, vir egregia in re medica eruditione, & incredibili in abditiſsimis antiquitatis arcanis indagandis diligentia, qui in eleganti illo de Cantabrigiæ antiquitate libello, Arthurum à Polydoro negatum, locupletiſsimis teſtimonijs, quauis exceptione maioribus aſſeruit. Quibus

optimo

optimo iure eximius ille geographiſtoricus Humfredus Lhuidus nunc mortuus aggregari debet, qui ob indefeſſum in hiſtoricis & mathematicis diſciplinis ſtudium, longiori vita fuit dignisſimus. Ioannes etiam Priſeus pater meus, amplitudini tuæ (vt opinor) non ignotus, in hoc diligenter cum alijs incumbens, vt hiſtoriæ Brytannicæ veritas à Polydoro oppugnata, ſarta & tecta ſeruaretur, ante annos xx. Cómentarios aliquot latinè cõſcripſit, quos quũ morte præuentus, viuus euulgare non potuerit, eam mihi in teſtamento prouinciam impoſuit, vt eos tanquam poſthumos ſuos partus euulgandos curarem. Multa quidem ſuadebant vt eorum æditionem non negligerem. In his erat veritatis ſtudium, cuius in illis negotium agitur, amor Patriæ, cuius dignitas defenditur, & totius Brytannicæ gentis exiſtimatio, quæ multis verborum contumelijs in Vergiliana hiſtoria affecta, ab eius calumnijs vindicatur. Vrgebat quoque ſupremæ patris voluntati parendi necesſitas & religio. Quomodo enim paternum quod denuò redire non potuit arbitrium, ſine ſummo dedecore, à filio negligi potuit? His accedebant importunę noſtrorum hominũ efflagitationes, qui quotidianis ijſdemq; peracerbis querimonijs, me ad ęditionẽ maturãdam incitabãt. Inter hos maximæ fuit authoritatis egregius heros Gulielmus Herbertus Penbrochiæ Comes, patriæ noſtræ præcipuum eo tempore, & ſanè ſummum ornamentum. Is quidem ſingulari quadam humanitate contendebat, huius rei curam & procurationem ad ſe maximè ſpectare, tam propter

argumenti naturam, quàm quòd pater meus eum pręcipuè delegerat, qui hoc opus Edvvardo ſexto Regi tunc rerum potiunti, omnibus optimi Principis ornamentis refertiſsimo, commendaret, & penes quem eſſet ſecũdum Regiam maieſtatem totius operis patrocinium & tutela. Quis enim eo tẽpore Patronus magis idoneus inueniri potuit, qui ea fuit erga patriam animi propenſione, vt eius honorem & dignitatem alacritate maiori nemo tueri vellet, ea quoque apud Regiam maieſtatem & aulicos primores gratia, vt id optimè præſtare poſſet. Hæ certè rationes magnopere impellebant, nè diutiùs æditio differretur: & ego his valde commotus, ſemper de ædendo ſeriò cogitabam. Et tamen aliquæ ſemper occaſiones, impedimentum inferebant, quæ viuo Penbrochienſe, inſtitutum meum interuerterunt & retardarunt. Acerba quidem & luctuoſa mihi fuit tanti viri mors, qui patrem meum viuum ſingulari fauore & beneuolentia proſequebatur, & in cuius ego patrocinio poſt fatum paternum lubentiſsimè conquieſcebam. Hunc autem mœrorem meum augebant, reintegratæ noſtrorum querelæ, qui me tam diu circa æditionem moroſum & cunctabundum fuiſſe clamabant, vt ſublato Penbrochienſe, vix vllus idoneus patronus inueniri poſſet, qui nouum hũc partum ſuſciperet, & à maleuolorum impetitione authoritatẽ ſua defenderet. Dum igitur ſeriò, vt morã meam mihi totiès exprobratã purgarem, de alio Patrono parãdo ſollicitus agitabam, inter multos qui memorię atq; animo tunc obuerſabãtur, tu prę cęteris ad hanc rem aptiſsimus mihi ſtatim occurrebas, ſub cuius cele-

berrimo

berrimo & illuſtriſsimo nomine, hoc opus inuulgaretur. Quis enim aptior in locum Gul. Hereberti Comitis Penbroch. ſuffici potuit, quàm Gulielmus Cecilius, clariſsimus regni Baro, qui præcipuus liberorũ ipſius tutor, clientum patronus, & vniuerſorum fideicommiſſarius in vltimis teſtamentarijs tabulis deſignatus, & tanquam alter ipſe relictus eſt? Et quemadmodum ille ex antiquiſsima in Demetica noſtra Cambria, Herbertorum familia ortus, generis ſplendore clarus, auctoritate florens, & opibus abundans, magiſtratus & honores maximos domi ac militiȩ geſſit, ita tu quoq; nobiliſsimæ tuæ ſtirpis originem ad præclaram Sitſiltorum familiam, ex eadem noſtra Demetia longiſsima ſerie verè defers, & excellentium virtutum tuarum merito & commendatione ad altiſsima dignitatum & honorum in Repub. faſtigia exurrexiſti. Inter alios autem quibuſcum huius operis euulgandi conſilium & propoſitum communicaui, Gulielmus VVightmannus, pro eo quod mihi cum illo interceſsit affinitatis & neceſsitudinis vinculo (vt eſt dignitatis tuæ ſtudioſus, & admirator virtutum tuarum maximus) mihi præcipuus fuit hortator, vt non ſolum hanc prolem paternam, verùmetiam me ipſum totum amplitudini tuæ dicarem. A teſtatoris quidem familia ad eius fiduciarij heredis clientelã, commodam eſſe commigrationem, & naturæ taciteq; defuncti voluntati maximè conſentaneam eſſe diſſerebat. Tarditatem quoq; meam, quam alij mihi vitio culpæq; vertebant, fœliciter mihi ceſsiſſe, quòd ea occaſione hoc opus in tuum fœliciſsimum patrocinium

incide-

inciderit. Quin mihi etiam ipſi, qui ex cauſis quas antea commemoraui æditionis fœſtinandæ miro quodam ardore ſemper antea flagrabam, mea tam lenta procraſtinatio tantopere placuit, vt benè ſperare ceperim, libello nec genium deeſſe, nec defuturam diuturnitatem, propter hanc ipſam cauſam. In mentem etiam mihi veniebat, ſupra ea omnia quæ in Penbrochienſe erant magna, te eſſe maximarum artium & diſciplinarum ornamentis (quarum is laude penitus carebat) excultum, earumq; ſubſidio, non ſolum qui patrocinium, verùmetiam qui Iudicium & cenſuram ſuſcipias, maximè idoneum iudicari debere. Nam is demum eſt hiſtoriarum cenſor & Iudex idoneus, qui primò in optimarũ artium & diſciplinarũ ſtudijs verſatus eſt, & poſteà magnarum rerum vſu confirmatus, in conſilijs principum, & in grauiſsimis Reipub. deliberationibus, iudicandi prudentiam comparauit. In quorum albo te principem locũ in Republica Britannica tenere, vniuerſus (penè dixerim) orbis Chriſtianus teſtis eſſe poteſt. Sæpe etiam animo agitabam, eam eſſe huius argumenti de quo hic tractat libellus conditionem, eaq; eſſe hominum hoc tempore ingenia, vt tali patrono carere non poſſet. Proſpiciebam enim, ne in varias reprehenſiones & calumnias eſſet incurrendum, quas in omni memoria, is ſolus & non alius euitare ſolet, qui nihil ſcribit. Multi enim futuri ſunt, qui non ſatis probabunt genus hoc ſcribendi, in quo tantum aliena ſcripta, præſertim hiſtorica reprehenduntur. Licuit ſemper in omnibus ſeculis vbiq; gentium hiſtoriarum ſcriptoribus, ea quæ à

maximis Regibus & potentiſsimis Imperijs inſolenter, perfidè, crudeliter, aut flagitioſè facta fuerunt, ingenua libertate perſtringere. Nec poſt hominum memoriam, vllus hiſtoricus, Legis Corneliæ quæ in falſos animaduertit, eo nomine inſimulatus eſt, quòd liberiùs Nationum & Gentium vitia moreſque corruptos deſcripſerit. Quibus equidem lubenter ſubſcribo. Quid enim aliud eſſet, eam libertatem hiſtoricis auferre, quàm vniuerſam hiſtoriarum ſcriptionem è medio quodammodo tollere? Nullus vnquam Scriptor in veteribus Brytannis aut in noſtris Cambris, ea quæ vituperanda videbātur, maiori libertate quàm pater meus in hoc ſuo libello vituperauit. In quo Polydorum etiam ipſum (vt par fuit) veris ſuis laudibus nequaquàm fraudauit. Ecquis credere poteſt, ſi quis Q. Fabium, Scipionē Africanum, aut Paulum Aemilium, vel vnquam vixiſſe, vel Romanos fuiſſe in hiſtoria negaſſet, Romanos homines conniuentes ſilêre voluiſſe? Cur igitur magis mirum cuiquam videri debet, hominem Brytannum à ſcribendo non tēperaſſe, quum Polydorus non ſolùm Arthuro & Brenno, duobus clariſsimis Brytanniæ luminibus, verùmetiam vniuerſa ſua hiſtoria Brytanniam ſpoliauerit? Neque verò huius argumenti tractatio, probatiſsimorum Scriptorum, quùm veterum tum recentium frequentiſsimis exemplis caret. Herodotus, antiquitate & eloquentia clariſsimus Græcorum ſcriptor, à multis ſui temporis hiſtoricis, non obſcurè tanquam vanitatis & mendatij reus laceratur. Polybius, vir Megalopolitanus, magnæ quidem apud omnes authoritatis hiſtoricus, Philarchū

acerbè reprehendit, quod in hiſtoria ſua, res geſtas Megalopolitanorũ, aut ingrato ſilentio diſsimulauerat, aut frigidè ac parùm pro dignitate deſcripſerat. Quid verò Capitolinus, qui non veretur Herodianũ, tãti nominis ſcriptorem erroris coarguere? Quid deniq; Strabo, qui Poſsidonium notat, quòd inanes in hiſtoria ſua rumores, pro veritate tradiderit? Et vt veteres omittã, Ioannes Sleydanus dictionis puritate & fide pręſtãtiſsimus ſcriptor, inter alia refert Paulum Iouium in rebus Germanicis deſcribẽdis, animi ſui morbum prodere, & omnia (præſertim in negotio religionis) incõperta, falſa, calũniosa, & à veritate lõgiſsima ſcripſiſſe. Alius quoq; noſtri tẽporis acutus, non tam hiſtoricus quàm hiſtoriarum cenſor, verè notauit, res Perſarum, Turcharũ & Arabum, magna ex parte Iouio ignoratas, diligẽter & copiosè ſcriptas, geſta verò in Italia illi cõperta & cognita, leuiter in eius hiſtoria eſſe tacta. Philippus ipſe Comineus, hiſtoricorum noſtri tẽporis anteſignanus, ob frequẽtes digreſsiones, & immodicas Ludouici Regis laudes, à Ioãne Meiero & Ludouico Viue taxatur. Poſſem equidem alia ad hanc rem comprobãdam infinita antiquitatis & memorię noſtrę teſtimonia proferre, ſed ex his paucis facilè cognoſci poteſt, hoc genus ſcriptionis, à veterum & recentiũ conſuetudine & vſu non eſſe alienum. Ad eos nunc venio, qui grauiſsimis (vt putant) rationũ momentis, & authoritatibus ex media antiquitate petitis adducti contendunt, nullum vnquam ſcriptorum de ſuis hoſtibus & ciuibus, ſeu de ſuæ gentis hominibus aut rebus, idoneè aut verè ſcribere poſſe. Eam eſſe cauſam quòd multi Romani ſcripto-

res ſcribant, Carthaginenſes hoſtes pleraque crudeliter, turpiter, aut ignauè adminiſtraſſe, populum Romanum omnia ſtrenuè, gloriosè, & laudabiliter geſsiſſe. Peregrinos igitur & exteros homines, tãquam ambitione, odio, & affectione carentes, ad hiſtoriam cuiuſque gentis ſcribēdam maximè idoneos eſſe iudicandos. Et negari quidem non poteſt, Thucydidem Athenienſem Lacedemoniorũ, Plutarchum græcum Romanorum, Cornelium Tacitum Romanum Germanorum, Paulum Aemilium Italum Gallorum, Froyſardum Gallum, noſtratiũ res geſtas, magna cum laude & fide bona ſcripſiſſe. Ingenuè quoque fateri oportet, Polydorum ipſum, poſt Normannorum in hanc Inſulam aduentum, ex Commẽtarijs aliorum, & publicorum monumentorum ſubſidio adiutum, hiſtoriam minimè malam conſcripſiſſe. Nimium tamen teneræ & delicatæ ſunt eorum aures, qui æquis animis audire non poſſunt, in veterum Brytannorum originẽ & rebus geſtis, illum nullibi eſſe lapſum, quum præcipua monumenta, quibus eorum origines & antiquę res geſtæ continentur, in lingua Brytannica, quam Polydorus penitùs ignorauit, ſunt cõſcripta. Is de quo antea diximus Plutarchus (Deus bone) quàm ſolidi iudicij ſcriptor, quàm reconditę in omni diſciplinarũ genere eruditionis, quàm probæ contra Gręcorũ conſuetudinem in hiſtoria fidei, in Romanorũ tamen antiquitatibus aliquãdo poſterorũ teſtimonio lapſus eſt, quòd Latinam linguã non ſatis intellexit. Cuius ingenuũ cãdorẽ in hoc omnes admirãtur, quòd ipſe in vita Demoſthenis illud cõfitetur. Appianus etiã, quo nemo ciuilia

Romanorum bella diligentiùs aut copioſiùs ſcripſit, quùm vir fuerit Aegyptius, & Romanã linguam non ſatis callucrit, in Romanorum antiquitatibus, & ipſe aliquãdo dicitur offendiſſe. Et quamuis peregrini, aliarum gentium hiſtorias, ſincerè & fideliter aliquando ſcripſerint, non poſſum hoc in loco Nebriſſenſis ſententiam ſilentio præterire, qui exiſtimat ſatis tutò peregrinis hominibus hiſtoriæ fidem concedi non debere. Nec ob aliam opinor cauſam, Ferdinãdus, Regum ſui temporis prudentiſsimus, maluit homini grammatico Hiſpano, quam Angelo Politiano, Hermolao Barbaro, aut Pico Mirandulæ, hominibus Italis, tunc eruditione & eloquentia celeberrimis, rerum à ſe & Elizabetha coniuge geſtarum ſcriptionem committere. Ipſe quoque Nebriſſenſis, qui eam hiſtoriam puro quidem ſermone, & ſincera fide omnium teſtimonio ſcripſit, in ſua ad Ferdinandum diuinatione liberè profitetur, hominem externum ex animo res alterius gentis ſcribere non poſſe: reſque Hiſpanicas non minus Italis ignotas eſſe, quàm Hiſpanis Italicas, & iuxta vulgatum illud adagium, multo callidiorẽ eſſe inſipientem domi ſuæ, quàm ſapientẽ alienæ. Sed eſto, peregrinũ eam hiſtoriæ partem expedire poſſe, quæ noſtræ, patrũ, auorũ, aut proauorum memoriæ homines deſcribit, aut actiones vel res geſtas enumerat, is tamen eam queſtionem in hiſtoria fœliciter explicare non poteſt, quæ de primo regionum incolatu, aut de vetuſta gẽtis alicuius origine tractat. Tria enim ſunt, vt Ioannes Bodinus Iuriſconſultus & antiquarius noſtri temporis percelebris notauit, quibus Gentium origines haberi, & re-

ctè iudicari poſſunt. Primùm eſt eius nationis de qua queritur hiſtoria, alterum linguæ patriæ & antiquæ conſentientia veſtigia, tertium in regionis ſitu & deſcriptione peritia. An autem in his tribus, Polydoro homine Italo & linguæ non ſolum Brytannicæ verùmetiam Anglicæ ignaro, ſuperior fuerit pater meus, qui gentis ſuæ hiſtoriam Brytannicè ſcriptam, & obſoleta quæq; linguæ Brytannicæ veſtigia intellexit & obſeruauit, quiq; in Brytannia natus eſt, & maiorem eius partem oculis perluſtrauit, grauiſsimę tuę & aliorum cenſuræ, iudicandum relinquo. Et prolixiùs quā deceret hîc immorarer, iuſtoſq; præfationis terminos tranſilirem, ſi libellum iſtum aduerſus omnes moroſos cenſores præmunire conarer: quos quùm nemo vnquam euitauerit, non eſt cur ego prærogatiuam poſtulare debeam. Sed quum te tanquam huius laboris Ariſtarchum & defenſorem delegerim, minimè quidem dubito, ſi tibi probatus fuerit, quin eum doctiſsimi & prudentiſsimi quiq; facilè ſint exemplo tuo comprobaturi. Hanc igitur meæ erga celſitudinem tuam obſeruantiæ & ſtudij ſignificationem publicè exhibitam, pro perpetua illa tua in omnes conſuetudine humaniter accipe, proba, & protege, tuiq; nominis amplitudine & authoritate, omnes reprehenſorum impetus retunde. Deus optimus maximus celſitudinem tuam Regiæ maieſtati, & vniuerſæ Reipublicæ Britannicæ, ſuperſtitem & incolumem diutiſsimè tueatur & ſeruet. Londini tertio Non. Martij. 1573.

¶ Thomæ Brounei Præbendarij VVeſtm. in Hiſtoriæ Brytannicæ defenſionem ornatiſſimi & doctiſſimi viri Ioannis Priſei Equitis aurati, Cambri Brytanni.

PRiſe per ora virûm volitat tua fama celebris,
Et tua ſcripta volant Priſe per ora virûm.
Stemmate, doctrina, multo illuſtratus honore,
Vixiſti, meritò condecoratus Eques.
Nam patriæ columen, Muſisq; columna fuiſti,
Sedulus, & nullum tempus inane terens,
Aut pius incumbens rebus ciuilibus æquus
Iudex, aut ſtudijs abditus vſq; tuis.
Hinc inter multos ceſſarunt iurgia, lites:
Pluribus aſt illinc fructus opimus adeſt.
Hiſtorias bellè ſcripſiſti, quando vacaret:
Hoc fecit Cæſar, miles & hiſtoricus.
Priſus idem fecit monimenta Brytannica voluens,
Cum licuit, licuit vix tibi Priſe ſatis.
Attamen vt licuit, cunctorum ſcripta reuoluens,
Annales fecit nec ſine laude ſuos.
Veros & veris dulces gratoſq; Brytannis,
De Cambris verus nil niſi vera docens.
Inuidus & mendax ſileat Polydorus, & vrbe
Exulet Vrbinas, vt peregrinus eat:
Priſe Brytanne veni, Cambrorum vera propago,
Vera tuos verax gemma Brytanna doce.
Edvvardo illuſtri Cambro, Regiq; Brytanno,
Nauaſti hanc operam, principe digna fuit.

Sed tenebris liber hic, cæcaque caligine merſus
Obruitur longo tempore luce carens:
E tenebris tandem ſpiſsis Burgleyus equeſtrem
Euocat, inſignis nobilitate, virum.
Illi nempè placent ſine fuco Annalia vera,
Verus adumbrato ficta colore premit.
Multis nominibus fauit Burgleyus heros
Priſe tibi. Primùm Camber & ipſe fuit,
Camber & ipſe manet, nèc ſe dolet eſſe Brytannum,
Hoc licet inuiſum ſit Polydore tibi.
Doctus, honoratus, rebus ciuilibus inſtans,
Doctis (quod rarum eſt) nobilibuſq; fauet.
Ergo vade liber, tam claro fulte Patrono,
Vade nec incultus fauſta per ora virum.

Ri. Vaughani in Authorem.

QVid facis, O Camber? ceſſas antique Brytanne?
Ardua quin Priſi reſpicis acta tui?
Priſeus infeſto Polydori vindicat ore,
Res regni validas (Brute vetuſte) tui.
Brenne, Brytanne pugil, tibi quis vincendo ſecundus?
En Romanorum bis quia victor eras.
Tu cum fratre tuo ſparſiſtis nomina latè,
Italiæ reſtant, quæ, monumenta, probant.
Arthur & Heroûm princeps, quem perſonat orbis,
Priſæi caſta, perſtrepis hiſtoria.
Priſe perite vale, ſpectate domiq; foriſq;
Iura ſciens, æquè dans ea, ſcriptor, Eques:
Tu quoq; ſuccedis proles gratiſsima patri,
Qui nobis patrium nobile tradis opus:
Tu patris & patriæ famam per ſecula ſeruas,
Et pius es patri tu, patriæq; pius.

¶Edwardi Grantæ ſcholæ Weſtm. moderatoris, in Hiſtoriæ Brytannicæ defenſionem, clariſsimi viri, Ioannis Priſei Equitis aurati, carmen encomiaſticon.

PRæmia larga vides, pretioſi munera Priſi,
  Qui fundit patriæ germina pulchra ſuæ:
Germina pulchra ſuæ, turgentia palmite mentis
  Lector habes, gemmis conſita chare ſuis.
Cambrorum decus hic, patriæ lux vnica gentis,
  Stemmata magnanimum, dat tibi pulchra ducum:
Stemmate clarus eques, diuinæ Palladis arte
  Clarior effectus, ſcripta vetuſta legens.
Scripta vetuſta legens, patrios cumulauit honores,
  Recluſit laudes (terra Brytanna) tuas.
Gloria, fama, decus, floret, volat, æthera ſcandit,
  Cura, voce, πόνῳ (cambria clara) ſuis.
Antiquas renouat laudes, tua prælia pandit,
  Nomina vera canit, factaq; clara refert.
Opprobrijs merſam recreat, variaq; repreſſam
  Inuidia reficit, crimina ficta docens.
Aſſerit è tenebris mauortia facta Brytannum,
  Inſultans pedibus hîc Polydore tuis.
Prælia vera docet phaleratis obruta fucis
  Hic pretioſus eques: omnia vera canens.
Quæ prius antiquo iacuit viduata decore,
  Rixoſi pugilis perterebrata manu:
Militis egregij floreſcit munere Priſi
  Terra Brytannorum, clara propago virûm.
Cuius inextinctas nomen memorabile laudes,
  Euehet ad nitidi ſydera celſa poli.

Ri. Va.

QVid Polydore putas penitùs pepuliſſe Britannos?
Romanoſq; facis Dominos, regeſq; perennes?
Scilicet, es Polydore pius, tu tollere rectos
Appetis hæredes, alioſq; inducere falſos.
Dat Deus æqua tibi, pro tanta, præmia, fraude.
Inuiſos cineres facit & tibi funera dira.
Hæredeſque noui, quos tu formare paraſti
Romani, totum ius amiſêre regendi.
Pelluntur penitùs, nihil hîc potiuntur auari.
Tuque operam ac oleum, perdis, Polydore Latine.
Semper in extremis verum patet, in tenebris &
Splendeſcit: Virtus vulnere creſcit enim.
Priſe ſed occurris Polydoro, corripis illum.
Aequus in oblatam Milo deſcendis arenam.
Priſe, quis aſcribet tibi quod meruiſſe videris?
Lædendi Patriam, Polydoro præripis auſam.
Iſte facit Dominos Romanos, Italus, eſſe:
Tu retines iuſtè priſcum Diadema Brytannum.

Bart. C.

Barth. C.

CVM Polydorus homo fuerit, linguæq; Britannæ
Inſcius, humanum, lapſus & error erant.
Quæ tua cùm faciat nobis induſtria Priſe
cognita, dum veri certa trophæa notas,
Dignus es innumeras, cui tota Brytannia laudes
attribuat, meritis dona minora tuis.

Jo. M.

SEnſerat ardentem diuini numinis iram,
Internis, hoſti ceſſerat, acta malis (tuſtas
Gens Brytonũ. Noua mox clades: Monumenta, ve-
Barbarieſq; premunt. Poſteritas ſatagit,
Ne prius actarum præclarè gloria rerum,
Gentis in euerſæ, nomine fixa foret.
Victi bis pereunt: Scriptorum perfidus error,
arbitrio retulit, parta trophæa tuo.
Præſta operam Priſee tuam, Populiq; potentis
nomen & à blattis vindicet & tineis.
Collige reliquias Danaûm, dum Iupiter æquus:
Ex Dijs propitios inuenies aliquos.
Aedere ne metuas, validæ præconia gentis,
quæ pia percupidè, progenies relegat.
Virtutiq; ſuæ, quæ gens confidere poſsit,
alterius nunquam laudibus inuideat.

PRAEPOTENTI ET OMNIBVS MODIS ORNATISſimo viro D. Gulielmo Penbrochiæ Comiti, Domino Hereberto Cartaphæ, honorandi ordinis quem vocant Gartherij, Equiti Aurato, apud Regiã maieſtatem rei equeſtris præfecto, atque ab intimis eiuſdem conſilijs, Dominoq; Preſidenti conſilij ipſius regiæ celſitudinis in finibus Walliæ, Ioãnes Priſeus miles Brytannus, S. P. D.

ETSI diu quidem ingẽs me ſpes fouebat (Vir ornatiſsime) Polydorum Vergilium ab ædita hiſtoria ſua, quam gentis Anglorum inſcribit, nõnulla quæ ab eiuſdẽ æditione, doctorum virorum partim ſermonibus, partim ſcriptis ęditis, aliter ſe habere, quàm ipſe in hiſtoria huiuſmodi prodiſſet, comperit, ingenuè correcturum: Nunc verò, poſtquàm id ſe quàm minimè facturum eſſe multis ar-

gumentis oſtendit, ne prorſus defenſionis inopia, tantoque & tam diuturno omnium ſilentio veritati ipſi præiudicium aliquod generetur, dubiaque pro confeſſis, & vana pro veris impoſterum habeantur, Polydorum ipſum de nonnullis rebus aliter ab eo proditis, quàm ſe reuera (mea quidem ſententia) habuerint, paucis admonere ſtatui. Quo vel ipſemet hijſce de rebus admonitus, ſi qua in hac qualicumque lucubratione noſtra non omnino indigna obſeruatu videbuntur, ingenuè ob veritatis amorem, & hiſtoriæ fidem, quæ apud omnes ſacroſancta eſſe debet, obuijs vt aiunt vlnis recipiat, atque agnoſcat, vel ſi id recuſauerit, illud ſaltem alij rerum æqui æſtimatores dijudicare poſsint, aliquam ne animaduerſionem iure mereantur, quæ in eius hiſtoria obſeruauerim. Fateor equidem me prorſus infantem, & vſque adeò ingenio & eloquentia vacuum, vt hæc de quibus diſſerturus ſum, nullo prorſus verborum lenocinio cuiquam perſuadere me ſperem, niſi nuda veritas ipſa, cuius vis tanta eſt, vt vel inuitos ad ſe trahat, patrocinari videatur. At non hîc agitur de verborum ſed de rerum controuerſia, qua in re veritas non eloquentia requiritur. Porrò non ſum neſcius, quàm delicatæ hac tempeſtate ſint hominum aures, vt nihil arrideat, niſi quod eloquio vſquequaque politum & nitidum ſit, pluſque ferè laborent in ſermonis ornatu, quàm in rerum ipſarum conſideratione, quorum vt iudicium ceu prępoſterum non probo, ſic & eos qui ſermonis nitorem cum rerum grauitate coniungunt, maximopere ſuſpicio atque admiror. Verùm non cuiuis homini (vt eſt in prouerbio) contingit

tingit adire Corinthum, neque vitæ noſtræ ratio, quæ negotiorum vndis ſemper à puero agitata eſt, id conceſsit, vt vtrumque præſtare poſſemus. Alterum ſaltem pręſtare conabimur, nempè rei veritatem atque fidem, non tam noſtro, vt verum fatear, genio indulgentes, quàm aliorum complurium flagitationibus (tãtum non improbis) deuicti, qui nobis aliquam in rebus Britannicis & earum antiquitatibus notitiam tribuere videbantur, & res tam celebres, tamque perpetuò decantatas, in controuerſiam nunc demùm deduci moleſtè ferebant. Cæterùm, quòd iſta latinè vtcumque præſtamus, & non alio, puta Anglico ſermone, quo magis exercitati ſimus, in cauſa fuit Latinorum ſcriptorum turba, ex quibus hac in parte, nonnulla mihi citanda ſunt, quæ parum appoſitè Anglicano contextui interſeruntur. Tanta quoque harum linguarum diuerſitas eſt, vt illarum planè ridicula foret coniunctio, perinde ac centonum qui varijs tincti coloribus conſuuntur. Neque latinè ſcribenti loquentiúe, reſponſum peregrino ſermone ædere cõueniret. Cùmque ex noſtratibus perpaucos nouerim hac potiſsimùm tẽpeſtate, qui latinè vel modicè callentes, in rebus Brytãnicis ſimulque priſca Brytãnorum lingua aliquatenus exercitati, ad hanc ſubeundam prouinciam idonei viderentur, etſi in alterutra lingua quamplurimos pręſtantes agnoſco, qui ex hoc noſtro commentariolo vtcumq; admoniti, rem poſthac luculẽtiùs explicare, ornare atque illuſtrarę poſsint, mihi tandem hoc veri tuendi munus non tam ſermonis eloquio, quàm rei æquitate freto, aggredi viſum eſt. Cumque tua prudentia potiſsimùm

 commu-

communicare; cui in vtraq; lingua doctos conſulere in prono eſt. Ac ſi quid in altera, nempe Brytannica à me minus recte aſſertum ſit, facilè tuo ipſius iudicio deprehendere atq; reijcere licet. Tùm vt ſi qua ad veritatis examen, ex hac mea qualicumq; lucubratione eruta ſint, ſub tuæ dignitatis clipeo, ab æmulorum morſibus & calumpnijs protegantur. Nullum quidem aduerſus iuſtas veraſque reprehenſiones, ſi quibus occaſionem aliquam hac in parte dederim, vt dediſſe tam poſsibile eſt, quàm me æque hominem eſſe atq; alium quenquam, patrocinium expeto. Liberam de veritate diſceptationem citra partium ſtudia duntaxat requiro. Neque mihi quaquauerſum circumſpicienti, cui potiſsimum huius noſtræ lucubracionis cenſuram deferrem, alius quiſquam magis idoneus occurrebat, quàm tua prudentia, quàm & Brytannicæ linguæ non ignaram, & in rebus dijudicandis ſagaciſsimam eſſe ſcio: Nec magis appoſitus per quem hoc quale quale eſt opellæ Regię maieſtati cõmendaretur, quàm tua nobilitas, quã & ipſius celſitudini omnibus modis chariſsimam, & ex priſcis Brytannorum Heroibus nempè illuſtriſsima Hereberti familia ortam atq; prognatam eſſe exploratum habeam. Ex qua quidem domo, multò plus decoris & nobilitatis omne Brytannorum genus accepiſſe, quàm viciſsim contuliſſe fateor. Vtpotè quæ extinctam propè Gentis illius gloriam veluti ab inferis reuocauit & illuſtrem reddidit. Verùm & ipſi quidem domui quãtumuis illuſtrĩ, plus ipſe decoris & ornamenti contuliſſe videris, quàm accepiſſe, vtpote qui eam iam per ſe ſatis præ-

claram multò præclariorem illuſtrioremq; tua ſingulari virtute & magnanimitate reddideris. Namq; ad generis claritatem, animi dotes omnes, virtutemq; ipſam omnibus modis abſolutam addidiſti, adeò prudentiam cum fortitudine coniunctam, modeſtiamque cum iuſtitia ita temperatam habes, vt prudentior an fortior, temperantior nè an Iuſtior cenſendus ſis, haud facilè ſit dijudicare. Id quod proximis vulgi noſtratis perturbacionibus inſaniſsimis perſpicuum reddidiſti, quibus ad extrema, non niſi tentatis prius omnibus, quę ad ſummam lenitatem ſpectarent rationibus, aduerſus miſeram plebem, ſed iniquiſsimi cœpti mirè pertinacem, progredi voluiſti, nec diutius iuſtitiæ fortitudinisq; ſeueritatem in miſeros homunciones proferre, quàm & ſumma Reipublicæ neceſsitas, & Regię maieſtatis ſecuritas expoſceret. Atq; multò prius tua lenitas à ſumenda de illis pœna, quàm ipſi de promerenda ceſſare voluit. Sed ne tuæ modeſtiæ (quam huiuſmodi eſſe ſcio, quę laudãda potius facere quàm audire malit) ſim moleſtior, hanc noſtram opellulam, etſi omnino rudem & incomptam, æqui boniq; conſulas rogo. Eamq; licet omnino rudem, apud Regiam maieſtatem tanti, pro aſſerenda veteris hiſtoriæ fide, quanti comptam illam Polydori inuectiuam in abolenda vetuſtatis memoria, valere procures. Oſtenderem enim quàm minimè expediret tot Monarchas huius Inſulæ, tot ab hijs terras hinc inde acquiſitas, abſque aliqua ſaltem probabili cauſa ſupprimi, niſi inde viderer, ſummorum virorum ſtudia & affectus mihi ad partes meas fouendas plus iuſto captare. Sed

hijs omiſsis, ad ipſius rei inſtitutæ diſceptationem progrediamur. Hoc vnum à candidis Lectoribus exoratum cupientes, vt ne contemptui quid habeant, quod hîc vel ex parum Latinis ſcriptoribus, vel ex Brytannico idiomate interſeritur. Memores, quod non de Romanis rebus regnoque Latino, ſed de Brytannico nunc agitur, quod non æquè à Romanis, atque ab huius terræ indigenis, etſi ſermone barbaris tenetur atque recolitur.

AD ILLVSTRISSIMVM IVXTA AC POTENTISſimum Principem Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Regem, fidei defenſorem, & in terris Eccleſiæ Anglicanæ & Hibernicæ ſupremum ſub Chriſto caput, Edouardum eius nominis ſextum, in Hiſtoriæ Brytannicæ defenſionem, Joannis Priſei militis Brytanni Prefatio.

RECTE quidem in more apud literatos omnes (mea ſententia) poſitum eſt (Rex inuictiſsime) vt vbi quis quicquam in re literaria recens vel antea inauditum in lucē ædiderit, ſi quid in eo vitij aut erroris ineſſe videbitur, id vt alij quàmprimum excutiant, trutinent, ac mox vt vitioſum aliquid deprehenderint, in publicum prodant & detegant, alioquì ſcripturiētes multa temerè effutirent, nulla ratione habita quid ſcripturi ædituriúe ſint.

Quod

Quod, ſi in quouis doctrinę genere non eſt reprobandum, in rerum geſtarum monumentis tractandis, hiſtoriaque maximè laudabile eſt. Si enim liberum eſſet cuiuis, coniecturis duntaxat leuibus innixo, & poſt multos annorum cẽtenarios à re geſta collectis, & veterum monumenta ſuggillare, & nouam hiſtoriam ex ſuo (vt aiunt) cerebro excogitare, reiectis antiquioribus, qui vel ſuis temporibus res geſtas, vtpotè oculati teſtes, vel paulò ante adhuc recenti hominum memoria vigentes, partìm patrio partìm exotico ſermone ſcriptis commendarunt, hiſtoria (quæ antiquitatis omnis penu meritò cenſetur) in apertum diſcrimen vocaretur, vt fidei, qua maximè colitur, funditus iacturam faceret. Hijs itaque quantumuis ſermone impolitis, multò tutius fidendum arbitror, nempè qui, ſi non res geſtas, rerum tamen ipſarum adhuc vigentium monumenta, Regumque diplomata, pacta, conuenta, literas, & chyrographa, quibus rerum ſeries explicatur, viderint, aut ſaltèm ex eorum qui ea viderunt fide digna relatione acceperint, quàm illis, qui poſt monumenta ipſa, aut rerum perturbationibus abſumpta, aut temporis omnia exhaurientis vi exeſa, de rebus longè ante ſui vel cuiuſquam æqualium memoriam exactis, incerta tantùm coniectura rerum perpuſillarum apicibus, & forſan, nunc vt ſunt res, haud facilè credibilibus adducti, hiſtoriam quantumuis ornato nitidoquè ſermone concinnent. Multò ſanè minorem fidem ei tribuendam cenſeo, qui ſi non olùm ſuam præ cæteris hiſtoriam in precio haberi velit, verumetiam nullam omnino ex antiquiſsima huius Inſulæ hiſtoria efficere

ſtudeat,

ſtudeat, imò mille & amplius annorum curricula quibus hîc imperatum eſt, perpetuis tenebris & obliuione ſepelire conetur. Quod vtique Polydorum Vergilium pro virili ſategiſſe in ſua, qua res Brytannicas illuſtrare præ ſe tulit, hiſtoria, quum Romanas reuera victorias atque trophea hac in Inſula (homo videlicet Italus) potiſsimùm extulerit, hoc opuſculo (Princeps illuſtriſsime) palàm facere inſtitui. Quingentorum porrò aut eo amplius annorum res geſtas, terræ huius incolis vtcumque concedit, etſi per ea quoque tempora magna pars gloriæ ipſis deciditur, & Dacis atque Normannis vt plurimum cedit. Quingentos anteriores integros, Romanis plena (vt aiunt) manu tribuit, cæteros qui pręceſſêre millenos & eo plures annos, quibus à Brytannis hîc imperatum eſt, perpetuis tenebris obruere conatur. Hiſtoriam enim omnem quæ per ea tempora res geſtas commemorat, vt vanam atque fictitiam reijcit, & quod ex ea ſuæ hiſtoriæ interſerit (quod nimirùm facere ſubinde cogitur, ne dum res Romanas contexere ſtudet, nimis hiulca videatur narratio, ſi tantùm ea quæ Romani authores de rebus Brytannicis ſcripſêre recenſeret) id omne vt ridiculum contemptìm memorare videtur. Atque ea demùm omnia reijcienda eſſe cenſet, quæcumque apud Romanos authores non leguntur, quaſi nihil potiùs laborarint Romani ſcriptores, quàm vt omnes omnium gentium annales atque res geſtas perinde atque ſuas excuterent atque illuſtrarent, quod vt maximè ſtuduerint (id quod non videtur, quia non perpe-

tuo rerum ordine, ſed carptìm & ſubſultoriè de rebus Brytannicis ſcripſêre) multa tamen eos effugere tàm procul diſsitos oportuit: Neque vllo modo credendum arbitror, nihil fide dignum apud reliquos mortales vel de ſuis vel de aliorum rebus geſtis repperiri poſſe (id enim periniquum fuerit de reliquis gentibus iudicium) ſi tàm barbaræ, tàmque ſtupidæ cenſerentur omnes, vt nihil vſquam memorabile de ſuis, aliquo literarum monumento, vel ſua, vel aliena lingua commẽdatum habere credantur. Atque vt id tandem de aliquibus gentibus exiſtimari poſsit, vtpotè quæ ſedibus ſuis iamdudum pulſæ, & patriam & linguam vnà cum ſuis monumentis penitùs amittere potuerint, non itidem de Brytannis adeò temerè cenſendum eſt, qui vel Romanis ipſis teſtibus, multos annorum centenarios ante Iulij Cæſaris tempora hîc floruiſſe dinoſcuntur. Quandoquidem hos in Inſula natos idem Cæſar refert, adeò vt Aborigines eſſe credantur, neque vllo vnquam tempore, aut Inſula penitùs pulſi, aut prorſus exinaniti ſunt, quamuis maximas ſæpè clades, diſperſionemque variam & multiplicem, pars videlicet in Gallias, pars in Italiam, Græciamque Ducibus partìm ſuis, partìm Romanis perpeſsi fuerint. Præterea eiuſmodi hij ſunt, qui & linguã ſuam Brytannicam ſyncerè, abſque alicuius alterius admixtione, aut inſigni aliqua immutatione in hæc tempora retinent, & libros habent in eadem tum proſa tum rithmo elegantiſsimè ſcriptos, quibus antiquitatis veſtigia etiam nunc conſeruantur & retinentur.

Atque

Atque id demùm eſt, quod ijs ipſis fretus, potiſsimùm defenſionem hiſtoriæ Brytannicæ (Brytannorum omnium decus & ornamentum) iam aggredior. Eoque lubentius, quod tua maieſtas Regia, non ſolum ex illuſtriſsimorum Angliæ & Franciæ Regum familijs, ſed etiam ex antiquiſsimis, iuxta ac præclariſsimis Regum Brytannorum ſtemmatibus, veluti ex varijs fontibus in vnum flumen pulcherrimum corriuantibus ortum trahat. Vnde id demùm effectum eſt vt omnium huius terræ incolarum de Principe ex ſua cuiuſque gente regioque ſtemmate habendo, expectationi votoque abundè ſatis ſit factum. Id quod diuinitus nobis contigiſſe certum eſt, quo omnes denique controuerſiæ, quæ antehac in Regia ſtirpe nimis peruicaces & diuturnæ fuêre, penitùs ſopirentur & conticeſcerent. Nam vt querant Angli ſibi Regem ex eorum proſapia, habent omni ex parte nobiliſsimum, ſiue Lancaſtriæ domum ſpectent, ſiue Eboracenſem, ſiue Clarentiæ. Vt verò Franci ſibi Regem de ſua ſtirpe prognatum deſiderent, habent iuſtiſsimum, ſiue ſucceſsionem curent naturalem, ſiue acquiſitionem ex iure gentium æquiſsimam, tum armis, tum populi conſenſu factam: Vt denique veteres Brytanni Regem expetant è ſuis antiquis Principibus ortum, habent eundem & maximè legittimum & naturalem. Nam hoc veriſsimum quidem eſt (neſcio quo fato) at ſanè optimo neceſſe ſit, quòd tua celſitudo ab vltimo Principe Brytannorum Venedotorum, qui Ludouicus dicebatur, ter per lineam principatus de Aberfrao (ſic enim Septentrio-

nalis VValliæ principatus dicebatur) deinde à Theodoro cognomento Magno, principe Demetarum, qui Auſtrales Brytanni nunc dicuntur, per lineam Principatus Dineuoriæ quatèr, & à Meriadoto Principe Povviſiæ per lineam principatus Mathrauaeli bis, originem nobiliſsimam traxerit, atque horum præclara ſtemmata primùm in Roderico cognomento Magno, totius Cambriæ (quam nunc VValliam vocant) Principe, & paulò ante ipſum in Cadvvaladero vltimo Rege antiquorum Brytonum & totius Inſulæ Monarcha connectuntur. Cuius ſtemma in tricenos retro Reges Brytanniæ recurrit. Quę quidem omnia quum ex Brytannicis monumentis ſint apertiſsima, ęquo certe animo ferre non potui, vt ea nullius fidei eſſe credantur. Nec eſt quod impoſterum Brytanni noſtri à Bardorum ſuorum (ſic enim ſuos Vates vt Lucanus olim, etiam nunc vulgò appellant) vaticinijs pendeant. Habent quod votis omnibus expetebant, Regem nempè ex ſuo non dico ſanguine, imò illuſtriſsimo Regum & Principum ſuorum ſtemmate prognatum. Vnde quendam noſtratum Poëtarum carmine non ineleganter iam olim cecinisse memini, in hanc videlicet ſententiam, quòd ex quo focus è laribus Regis Cadvvaladeri ſopit' eſt, orta fuerit ſcintilla ex Inſula Môna, quæ vt Vergilius habet, ſopitos ſuſcitat ignes. Hinc eſt (Rex potentiſsime) quòd defenſionem Brytannicæ antiquitatis tuæ Maieſtati dicandam ſtatui, non eò tamen, vt ſi quid à me ſecus ac veritas ipſa patitur, dictū fuerit, patrocinium aliquod errori meo tuæ ſummæ

Maie-

Maieſtatis prætextu mihi comparem, verùm vt pro eodem Tribunali, hiſtoriæ Brytannicæ dicta ſit cauſa atque defenſa, apud quam prius traducta atque impugnata fuit. Hoc eſt, ſicuti apud regiam tui parentis illuſtriſsimi maieſtatem à Polydoro Vergilio in crimen adducta eſt, ita & apud ipſius filij illuſtriſsimi æqualem maieſtatem defendatur, fateor equidem ſub imparibus patronis cauſam agi. Nullo enim modo me eloquentiæ viribus, dicendiúe arte parem Vergilio cenſeo, aut ſatis idoneum, qui iſtius rei defenſionem aduerſus tam facundum criminatorem ſuſcipiam. Spero tamen non tàm inferiorem patrocinio, quàm cauſa ſuperiorem quæ rea peragitur, hiſtoriam euaſuram, ſi de rebus quidem ipſis non autem verborum lenocinio ratio potiſsimum habeatur. Egrè quidem ferebam, cauſam tam æquam atque honeſtam, omnium prorſus deſtitui patrocinio. Cùm igitur ex noſtratibus, qui res ſaltem Brytannicas teneret, viderem neminem qui in hanc arenam prodiret, perſpiceremque antiquitatum noſtratium monumenta magis magiſque obſoleſcere obliterarique, in Brytannorum ipſe lingua priſca & antiquitatibus iam inde à puero exercitatus, materiam ſaltèm aliquam ex hijs quæ hactenus extant monumentis, ſubminiſtratam volui. Vt alij forſan ſermone ornatiores veritatis athletæ, hanc prouinciam in ſe ſuſcipere volentes, rem poſthac nitidiori orationis filo contexant, ornent atque illuſtrent. Humillimè interim tuam maieſtatem ſacratiſsimam obſecrans atque obteſtans, vt hanc qualemcumque fa-

muli tui deuotiſsimi opellam atque ſtudium, boni conſulat, lætaque fronte ſuſcipiat, maiora atque meliora vtique præſtituri, ſi facultates vireſque ſuppeterent, quam quidem non ex rei præſtantia, verùm ex animi promptitudine (quæ ſumma eſt) tuæ maieſtati quomodocumque gratificandi, regio quidem animo, tuam celſitudinem expenſuram confido, quam orbi Brytannico diu fœlicem atque incolumem tueatur altiſsimus.

Errata in hoc opere.

Pagina 8. linea 28. pro ſiquſdem, lege ſiquidem.
pag. 17. lin. 9. pro ſuſcipiendæ, lege ſuſpiciendæ.
pag. 34. lin. 4. pro nomen claturam lege nomenclaturam.
pag. 35. lin. 18. pro Pollinij, lege Pollionis.
pag. 53. lin. 30. pro morum, lege moram.
pag. 64. lin. 12. pro deſeruiſſe, lege diſſeruiſſe.
pag. 117. lin. 2. pro quadrigentos, lege quadringentos.
pag. 120. lin. 26. pro byr, lege byrr.
pag. 145. lin. 1. pro ciſca, lege circa.

Authores in hoc opere citati.

Aeneas Siluius.
Aluredus.
Antonini Itinerarium.
Ammianus Marcellinus.
Baptiſta Egnatius.
Beda.
Cæſar.
Chavvcerus.
Chronica Meneuẽſ. Eccl.
Chron. Lãdauenſis Eccl.
Chron. Cãtuar. Eccleſiæ.
Cornelius Tacitus.
Chron. Glaſconiẽſ. Eccl.
Chro. Maridu. Cœnobij.
Dionyſius Halycarnaſſ.
Eliottus.
Eraſmus.
Euſebius.
Eutropius.
Flauius Vopiſcus.
Gaufredus Monomutẽſ.
Geruaſius Mon. Cãtuar.
Giraldus Cambrenſis.
Gildas.
Henricus Huntingdonẽſ.
Houedenus.
Herodianus.
Ioannes Saxo.
Ioannes Anglicus.
Ioannes de S. Albano.
Iuſtinus.
Iulius Solinus.
Ioannes Auuellanus.
Ioſephus Poëta Brytan.
Leylandus.
Ludouicus Viues.
Lucanus.
Marſilius Ficinus.
Martialis.
Merlinus Ambroſius.
Merlinus Silueſter.
Neuburgus.
Paulus Diaconus.
Perrottus.
Plinius.
Polydorus Virgilius.
Polybius.
Pollio Aſinius.
Pomponius Mela.
Ptolomeus.
Pomponius Lætus.
Quintilianus.
Radulphus Ceſtrenſis.
Strabo.
Suetonius.
Titus Liuius.
Thalieſsinus.
Trogus Pompeius.
VVillielmus Malmesbu-
rienſis.

Quod Britannia rerum in ea geſtarum monumentis nullo vnquam tempore à primo eius incolatu caruiſſe videatur.

VT HAEC INSVla Britãnia, Albion quoque ab antiquis dicta, & regum illuſtrium virtute & rei militaris gloria à poſterioribus temporibus claruiſſe cognoſcitur, atque ob id toto terrarum orbe, maxima veneratiõe ſummíſq; præconijs multis retro annis celebrata eſt: Ita & olim non minus credibile eſt, & ſi id literis nuſquam proditum fuiſſet, eam pari ſemper honore atq; rerum geſtarum gloria iam inde ab initio celebrem & famigeratã fuiſſe: Nec ipſam aut Regibus, Ducibúſq; præclariſsimis, aut rei militaris gloria vllo vnquam tempore ex quo primùm inhabitata eſt caruiſſe. Quandoquidem & cœli tẽperiem & locorum naturas multum ad parandam animi virtutem, corporíſque valetudinem tuendam conferre à doctis memoratum eſt. Qua quidẽ in re hæc Inſula tam cœli quam ſoli temperie nulli cedit. Quare eorum iniqua iudicia ſatis admirari non poſſum, qui tametſi id conſtanti & diu-

turna rerum fama, & probatis authoribus abundè teſtatum ſit, tam præclaros & excellentes viros in hac Inſula floruiſſe non credant, quales vetuſti gentis noſtræ Annales nobis depingunt, partim hoc innixi argumẽto, quod à Romanis authoribus ſilentio prætereantur, partim eo quod nulla credant apud Brytãnos extare monumẽta, quibus huiuſmodi Annalium fides innitatur & fulciatur. Cæterum quàm leue ſit vtrumque illud quod in hoc affertur, facile eſt perſpectu. Quis enim ignorat Romanos ſcriptores in hoc potiſsimum incubuiſſe, vt ſuorum res geſtas potiſsimum illuſtrarent: aliorum verò non niſi carptim atq; ſubſultim nulla perpetuæ hiſtoriæ deductione tantummodo perſtrinxiſſe. Vt igitur in rebus quas potiſsimum tractare profitentur, ſcriptoribus Romanis quantamcunque popoſcerint fides ſit adhibenda, de aliorum tamen rebus verba facientibus non æque, cùm & eas longinqua atque incerta vt plurimum relatione acceperint, & acceptas leui pede pertranſierint, ad ſuorum res geſtas commemorandas properantes, etſi (quod vix credibile eſt) nihil in ſuorum gratiam homines non tam opum quam laudis auari cõfinxerint. Vtri enim maior eſt in reb⁹ Iudaicis enarrãdis fides adhibẽda, Corn. ne Tacito authori Romano, qui de Iudeorũ origine & incremẽto obiter ſed perperã ſcripſit, an Moyſi Iudeorum hiſtorico ſimpliciſsimo quidem illi de ſua ipſius gente ſcribenti? Quod ſi Tacitus tam locuples alioqui inter Romanos author, tam illuſtris & notæ gentis originem & progreſſus vſq; adeo ignorauit, vt de ipſis vaniſsima prodiderit, Ecquid mirum

eſt

eſt ſi Romani authores, Brytãnorum (gentis videlicet ab initio nõ adeo notę) exordia & progreſſus ex parte ſaltem aliqua ignorauerint? Quod vero putant nulla extare inter Brytannos antiqua monumenta, quæ hiſtoriæ vulgatæ aſtipulẽtur, in hoc maxime falluntur. Nam etſi fateri neceſſe eſt, artium quas vocãt Liberalium, & reliquarum ſciẽtiarum literarúmq; ipſarum quibus in hac orbis parte vtimur adinuẽtiones è Grẹcia primùm in reliquas gentes preſertim occiduas fluxiſſe, atque à Romanis potiſsimũ poſt Græcos cultas fuiſſe, non tamen reliquas gentes & preſertim Brytãnicam vel nunc monumẽtis literarum carere, aut vllo vnquam tẽpore ex quo Inſulam hãc adierint, caruiſſe exiſtimandum eſt. Nec poſterius quicquam Romanis ipſis (ſi nõ tẽporius) literarum vſum accepiſſe. Quod partim ex Romanis authoribus ipſis, partim alijs ſatis probabilibus argumentis planum facere eſt in prõptu. Cęſar enim antiquiſsimus ex Romanis author, qui de Brytannis mentionem fecerũt, aſſerit Druydum diſciplinam in Brytannia primò repertam, atque inde in Gallias trãſlatam, quam quidem diſciplinam non (inquit) fas erat literis mandare, quum ad priuatas publicáſq; rationes literis Græcis vterẽtur. Plinius item ſcribit, Magiam vel ſuis temporibus tam attonitè in Brytãnia celebratam, tantíſque ceremonijs, vt dediſſe eam Perſis videri poſſent. Hinc liquet quod Brytannis longè ante Cæſaris tempora non defuerit literarum ſubſidiũ, quibus ſuas res geſtas poſteritati trãſmittere poſſent. Neq; literarũ inuẽtũ à Romanis, ſed poti⁹ à Grẹcis, à quibus & Romani ipſi Brytãnos mutuatos eſſe.

Cæſ.li.6. comẽt.

Plin. prohe. li. 30. Natur. hiſtor.

Nam ſi à Romanis eas accepiſſent, non vtique Gręcis, ſed Romanis literis tempore Cæſaris vſi fuiſſent. Atque ideo apud noſtros, vel æque maturè vel etiam maturiùs quam apud Romanos ipſos, vſum literarum extitiſſe veriſimile eſt. Preſertim cùm T. Liuius ſcribat, quod ante vrbem Romam à Gallis captam rarus eſſet literarum vſus apud Romanos: Vnde fieret vt ipſorum origines perquam obſcurè ad poſteros tranſierint. Hæc ille. Quod ſi ne ſuam ipſorum originem Romani ipſi certo calluerint, quid mirum ſi non tam certa de aliarum gentium originibus & incrementis tradere potuerunt? Atque vt græcis literis quondam vſos fuiſſe Brytānos credam, & hoc plurimū me mouet, quod licet latinis characteribus vtātur nunc Brytāni (quod Romanorum aduentu in vſum deduci potuit, qui vna cum imperio ſuas literas victis populis obtruſiſſe credendi ſunt) totidem tamen numero & eodem ſono habēt quot Græci: viginti enim quatuor literas habēt nunc Brytāni, & ſi olim duodeviginti erāt contenti: cæteras addiderunt poſtea. Nec plures initio apud Græcos fuiſſe literas lego. Vocales habebant olim ſex, iamdudum ſeptimam addiderunt, nempe duplicem v. Conſonantes etiam habent quas in ſemiuocales & mutas diſpeſcunt, & has rurſus in tenues, medias, & aſpiratas: quæ aliæ in alias in nominum & verborum flexionibus tranſeunt, idque Græcorum in morem. Quamplurima etiam cum Græcis ipſis communia vocabula retinent. Id quod Giraldus Cambrenſis libro quem (ὁδοιπορικὸν) ſiue Itinerarium inſcripſit, longè antehac obſeruauit. Quæ quidem omnia & literis iam

T. Liuius.

inde

inde ab initio Brytannos fuiſſe vſos, & à Græciæ ora originem traxiſſe documento eſſe poſſunt. Ad hęc, tam certam & conſtantem ſcribendi rationem & orthographiam tenent, vt hac quidem in parte vix Gręcis cedant aut Latinis: Cuiuſmodi in alijs linguis vulgaribus nō facile eſt videre. In Anglica & Gallica lingua, quis neſcit orthographiam pro ſcribētium multitudine aliam videlicet ab alia differre, nec nō pleráſq; literas partim alio quam debeant ſono enunciari, partim nullum quidem in vſum ſcribi, quum non pronuncientur. Quæ ſcribendi inconſtantia, vt vitioſam ſcribendi rationem prodit, ſic & inuariabilis & conſtās ratio inter Brytannos Cambrenſes rectam orthographiam oſtendit. Quod ipſe olim in vtraq; lingua Brytannica videlicet & Anglica luculento experimēto rogatu virorum aliquot illuſtrium, qui linguam Brytannicam ſcribi poſſe dubitabant, manifeſtum vel ipſiſmet Iudicibus reddidi. Hoc prius conceſſo, quod vtra lingua conſtantius & vniformius ſcriberetur, ea abſolutiorē teneret orthographiam. Iuſsis enim quatuor Anglice ſcribēdi peritiſsimis (erant illi quidem ferè omnes tum ab epiſtolis Regiæ maieſtati, qui vt tum ſpem de ſe ampliſsimam prebebant, ita poſtea dignis honoribus inſigniti ſunt) in varias partes ſecedere, & perbreuem admodum ſententiam, me dictante Anglice excipere, id poſtquam fecere & vna contulerunt, nulli eorum prorſus cum alio per tres aut quatuor dictiones integras vſque quaque conuenit, quin in ſingulis penè dictionibus aut plures aut pauciores, aut alias quam alius literas vſurparet. Quod vtiq; vitij in Anglica ſcribendi ratione, tum pri-

mum ſe obſeruaſſe ingenuè agnouerũt. At id in vetuſta Brytannica minimè fieri, ſi vel decẽ ſcriptores modo linguę eius ſcribẽdæ periti in diuerſa ſegregati, quãtumuis longam orationem exciperent, me probaturũ obtuli. Nec mirum ſi Brytãnicæ expertes tam certam ſcribendi rationem & orthographiam in lingua tam rudi & tam parum ęſtimata minimè arbitrentur, cùm paucisſimi noſtratium alioqui docti ſuam linguã ſcribere aut legere norint, quod hinc fit, quia peculiarem exigit ſcribẽdi rationem, longéq; aliter pleręque apud eos ſonantur literæ, quàm ab huius ætatis etiam latinè ſciolis vulgariter pronũtiantur, tametſi ꝓpiùs illi ad veterum pronũtiationem accedere, mea quidem ſententia videntur. Id quod ex Quintiliano & Eraſmo, doctíſque alijs, qui ea de re diſceptarunt colligere licet. Nempe c, & g, vt κ & γ apud Gręcos perpetuò ab illis pronuntiantur, non autem vt ſolent nunc vulgò cum e, vel i, illis ſubiungitur. ε ι & ο vocales ſimiliter vt à Græcis quidem ſemper, & à Latinis quoque nunc videlicet doctioribus efferuntur. u, vocalis vt in hac dictione (nunc) profertur, quamuis aliquando affini ſono cum (ὑψιλῶ) eam ſonant, quod eandem fuiſſe olim cum (ὑψιλῶ) probabili eſt argumento. d, verò plerumque vt (Δελτα) apud Græcos ſolet, pronuntiarunt veteres, tametſi recentiores duplici dd, cùm ſic enuntiantur nunc ſcribunt. Aſpirationibus inſuper abundant, atque id Græcorum exemplo, adeò vt nulla penè conſonans ſit quin aſpiratam recipiat. Nam & l, & r, cum aſpirata ſemper in initio dictionum coniungunt, quas duplas ideo ſcribunt, & id quoad r, cum

ipſis Græcis conuenit: nulla etenim dictio apud alterutros àb r, incipit, quæ non aſpirata ſimiliter pronuntietur. L, verò cum aſpirata propria eſt huius idiotiſmi. Grammaticam inſuper habent ſanè pro linguæ huius ratione exactiſsimam, qua & literarum poteſtates, ſyllabarum tonos & quantitates, dipthongorum diſcrimina, verborúmque emendatam ſtructuram accuratè ſatis tradunt, támque bene ordinata methodo, vt meliori (mea quidem ſententia) non poſſit. Atque vt in hac exercitarentur, gymnaſia habebant olim publica, quo patrij ſermonis & precipuè carminum componendorum ſtudioſi vndique diſcēdi gratia, preſertim ſtatis temporibus confluebant, & in hęc pene poſteriora tempora huiuſmodi perdurarũt, vbi & gradus ſcholaſtici ad alendam maiorem in huiuſcemodi ſtudio alacritatem pro cuiuſque profectu conferebãtur. Deinde carminum compoſitionem tam attonite ſemper coluere Brytanni, vt nullam putem gẽtem aliam, vel toto orbe reperiri, quæ tam varios & multiplices metri modos teneant, & qui his ſtruendis excellunt, inter eos Bardos appellãt, more veterum, ex quibus quamplurimos ſpiritu quodam venturi præſcio afflatos credidit antiquitas: Nec ea prorſus extincta eſt adhuc ſuperſtitio, vnde in futuris prædicendis ſibi plus cæteris gentibus adhuc curioſa gens, vana quidem ſpe arrogat. Atque id ex gentilitate, barbaricáque ſuperſtitione, quam ante Chriſtianam fidem inter eos viguiſſe conſtat, ortum habuiſſe videtur, teſte Lucano in hunc modum loquente: De Bardis.

Lucan.lib.1.

Vos quoque qui fortes animas belloque peremptas
Laudibus in longum vates dimittitis æuum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.
Et vos barbaricos ritus moremque ſiniſtrum
Sacrorum Druidæ,poſitis repetiſtis ab armis.
Solis noſſe Deos,& cœli numina vobis,
Aut ſolis neſcire datum,nemora alta remotis
Incolitis lucis: vobis authoribus vmbræ
Non tacitas Erebi ſedes Ditiſque profundi
Pallida regna petent:regit idem ſpiritus artus
Orbe alio,longæ canitis ſi cognita vitæ
Mors media eſt.

Et eos,qui nunc apud Brytannos carmina colunt, Bardorum huiuſmodi ſequaces eſſe haud dubium eſt, cùm ex nomine, quod adhuc poſt tot ſecula ne quicquam luxatū eſt. Bardus enim dicitur apud eos Poeta ſiue vates, qui carmina egregiè componit. Nec ſine vena quadam innata cuiquam id muneris conceſſum eſt, quantumuis ſtudij vel doctiſsimus in hoc adhibeat. Tum quod laudes virorum fortium predicare in more eſt,his perindeatque Bardis illis antiquioribus fuiſſe Lucanus teſtatur. Druidas quoque hinc originem ſumpſiſſe,atque ad Gallias inde tranſlatos paulò ante ex Cæſare oſtendi. Et Magiam apud eos vel Plinij tempore tam attonite in Brytannia celebrari, vt dediſſe eam Perſis videri poſſent. Fatendum eſt igitur vel ipſis Romanis teſtibus,Brytannos iam olim ante hanc Inſulam ipſis cognitam,ſiquſdem ex his C.Cęſarem primum eam adijſſe, teſtis eſt Cornelius Tacitus & alij, neque literarum ſubſidio deſtitutos, neque literatorum omnino expertes fuiſſe, quo minus non-

nulla

nulla habere potuerint iam olim ſaltem monumenta de gentis origine & incremento, vnde, & ſi iam non extent, poſteriores ſuas commentationes & hiſtorias haurire poterant. Nec igitur de gentis origine tam certa nobis tradere potuerunt Romani authores, quam Brytanni quidem ipſi, qui ſuorum monumenta alius poſt alium viderunt & ſtudioſè perlegerunt. Hæc, quoad tempora quæ maximè obſcura eſſe videbantur, dicta ſunt, videlicet ante ſalutis humanæ myſterium orbi proditum. An igitur putabimus poſt tantæ lucis iubar exortum, quum & Chriſti fides & literarum pariter ſtudia ad omnes mundi plagas, imò barbarie ſumma eatenus inuolutas diffunderentur, & precipuè inter Brytannos, qui inter primos quos vniuerſim fide initiatos legerim, Chriſti cultum ſuſceperunt, imò poſt habita cum Romanis ipſis literarum precipuis cultoribus aſsidua & diuturna commertia, maiores quam antea rerum tenebras extitiſſe? Id quidem non cõuenit vllo modo exiſtimare. Etſi iam non extent authores primi temporis, videlicet tam longa diuturnitate abſumpti, extant tamen tam antiqui qui illos ſubſequuti ſunt, quam in lingua vulgari alia vſquam gentium reperire liceat. Nam à mille plus minus annis proxime elapſis, nullum tempus eſt videre, quo non aliqui ſcriptores ſaltem Brytannici reperiantur, qui de rebus patrijs aliquam mentionem fecerint. In hoc enim potiſsimum Poetas illos quos Bardos etiamnunc appellari inter eos, quemadmodum & olim ſuperius demonſtrauimus, ſemper colere non ceſſarunt, qui & maiorum res geſtas & recentiorum genealo-

gias, atque Heroum laudes tum carmine tum proſa celebrarent, ac ſcriptis pariter & memoria conſeruarent. Cuiuſmodi poëtarum, quorundam carmina ante annos mille plus minus ſcripta in hunc diem apud quamplurimos conſeruantur. Et ipſe nonnulla huiuſmodi habeo cuiuis videre cupienti oſtendere paratus: vt Talieſsini & vtriuſque Merlini Ambroſiani videlicet & Sylueſtris, quorum hunc tempore Aurelij Ambroſij à quo & nomen ſumpſiſſe videtur, illum verò Vortigerni, Talieſsinum verò tempore Mailgonis regis floruiſſe conſtat. Quæ quidem carmina etſi paulò obſcuriora videntur, atque à phraſi & horum temporum vſitata loquendi forma paululum diſcrepent, non tamen adeò diſsident ab eadem, etſi ante tot annos ædita, quin à linguæ Brytannicæ aliquouſque peritis legi & intelligi poſſunt. Id quod ſatis admirari equidem non poſſum, qui fit vt lingua illa poſt tot annorum curricula, poſt tot támque memorabiles gentis illius clades, antiquum idioma ſuum citra aliquam ſaltem inſignem eius immutationem in hæc tempora retinuerit, cùm id in nulla alia, quàm ſciam, lingua vulgari videre liceat. Nam in Anglica lingua ante trecentos plus minus annos, libros exaratos vix eſt qui intelligere queat. Quod ad abolendam antiquitatis huius regni memoriam, plurimum officere eſt neceſſum. Adeò nouandis rerum vocabulis noſtri Angli penè omnes indulgent, neque aliquam certam fixamúe rationem loquendi aut ſcribendi patrium ſermonem tenent. Atqui in vetuſta illa Brytannica lingua longè

alia eſt ratio. Nam & in ſcribendo rectam & conſtantem tenent orthographiam, & in loquendo omnem nouandi licentiam abhorrent. Et huiuſmodi Poëtas ſiue Bardos (quos & alio nomine Pryduides appellant, atque eoſdem eſſe conijcio qui à veteribus Druydes dicebantur) inter ſe ea maximè de cauſa alunt & venerantur: vt linguæ iuxta ac Brytannicæ antiquitatis omnis, ius & integritatem conſeruent & tueantur. Quocirca à Talieſsini iam dicti æuo in hanc vſque ætatem, his non defuere Poëtæ ſiue Bardi huiuſmodi, qui & ſui temporis Heroum & maiorum ſuorum res egregiè geſtas patrij ſermonis carminibus, eíſque pro linguæ ratione venuſtiſsimis celebrarent, & poſteritati cõmendarent, quorum aliquos non ſolùm ſua lingua exercitatos, ſed Latinis literis atque artibus qui his potiſsimum traduntur, haud vulgariter doctos fuiſſe, ex eorum carminibus facilè videtur. Cuiuſmodi Talieſsinus iam dictus, & vterque Merlinus proculdubio fuere. Atque ex his aliquot inſigniores prout alij poſt alios ſucceſſerunt hic recenſere non ab re fore putaui, quo non generatim atque nulla certitudine innixa videatur à me inducta narratio. Sed vt alij qui veritatem curioſiùs inueſtigare ſtudent, hoc ex alijs Brytannis, vera ſint an falſa facilè percontari & cognoſcere poſsint. Poſt Thalieſsinum prædictum, qui Bardorum Coripheus dictus eſt, ſubſequuti ſunt ex illuſtrioribus hi: videlicet Daniel quidam, qui tempore Griffini filij Conani Principis Venedotiæ, quæ nunc Septentrionalis VVallia

 dicitur,

dicitur, videlicet ante annos quingentos plus minus floruit. Deinde Oeneus cognomento Keueiliocus qui & ipſe princeps Venedotiæ erat, carmina quædam cōpoſuit peruetuſta, id enim ſtudij adeò honeſtum ſemper inter ipſos cēſebatur. Nec non Ludouicus cognomine Bardus, circa idem tempus floruit. Hinc Kyndelous cognominatus Poeta magnus, tempore Rheſi filij Griffini principis Demætarum & Regis Henrici ſecundi, videlicet ante annos quadringentos floruiſſe cognoſcitur. Poſt hos Dauid cognominatus Penubras, inde Adamus cognomento Craſſus ſubſequutus eſt, annis ab hinc plus minus trecentis quinquaginta. Dehinc quidam Edernus cognominatus Chryſoſtomos à ſermonis venuſtate. Poſt hunc Dauid cognominatus Niger ex vico Hiradico doctor. Hij tres proxime recenſiti, carminum componēdorum artem auxerunt, & nouas quaſdam metri rationes excogitarūt. Hinc Trahaernus quidam inter Poetas ſui temporis maximus habitus. Et paulò ante noſtra tempora Dauid filius Gulielmi, Iollaus Rufus vulgo dictus, Iollo Goch, Rheſus Brechamus, Dauid Nanmorus, Hoelus cognomento Surdeuallis, qui theologiæ Bacchalaureus erat, nec non Ieuanus filius Roderici, vulgo appellatus Ieuan vab Rethergh, hi ambo impensè docti fuerunt, vt eorum lucubrationibus Brytannicis quidem videtur. Hoelus quoque filius Dauid filij Ieuani filij Rheſi, Dauid cognomento canus, filius Ludouici filij Griffini, & poſterioribus tēporibus Rheſus Nanmorus, Theodorus Ayletus, Gerardus Caneiubæ, à cana Ceſarie cognomen ſortitus, & alij complures homines

mines ſanè digni, qui nullo vnquam tempore ob ingeniorum monumenta præclara ab his ædita hominum memoria excidant, nec inter ſuos, quoad Brytannicæ linguæ ius aliquod conſtabit, excident. Atque ex horum carminibus, quæ antiquitatis Brytannicæ veſtigia ipſa ſunt, & quaſi teſtes fideliſsimi, nõnulla etiamnum extant proferenda, quę hiſtoriæ receptę fidei plurimum aſtipulentur, quorum tam veneranda vetuſtas eſt, vt idem mihi ea intuenti, quod Chawcero illi Anglico Poetæ præclariſsimo, in Famæ domicilij deſcriptione vſuuenisse oſtendit, videlicet vt eorum nomina & præclara facinora, qui recentiori memoria floruere, clarè, apertè, & dilucidè in ipſius domus parietibus ſcripta forent. Eorum autem, qui olim illuſtres fuere, quo anteriùs eo obſcuriùs eorum res geſtæ deſcribebantur, & quorumdam vſque adeò priſcorum tam obſcuræ & tam penè obliteratæ viderentur notæ, vt vix à quoquam legi aut intelligi poſſent, temporis ſcilicet diuturnitate famæ gloriam & ſplendorem magis magíſque pro vetuſtatis modo obſcurante. Sic & in his carminibus excutiendis, mihi prorſus euenire videtur. Nam quorundam tanta vetuſtas eſt tum dictionis tum ſcripturæ, vt ex ipſis literarum apicibus nonnulla colligenda ſunt. Quid enim in linguis his vulgaribus per mille annos ſic durare videas, quin & in phraſi dictionis, & in notis literarum plurimum detrimenti & innouationis patiatur? Neque hæc eo dicta ſunt, vt ex antiquioribus nihil clarum produci poſſe putem, quod noſtro propoſito inſeruiat, imò plus in illam partem quàm ex poſterioribus, ſed vt

tantam eorum antiquitatem eſſe oſtendam, vt à recentioribus confingi neutiquam poſſent. Poſteriorum verò poſt annos abhinc quingentos ſcripta multò dilucidiora ſunt tum lectu tum intellectu, & plurimum lucis prioribus afferunt. Atque vt nullum erat tempus, quo huiuſmodi literati inter eos non reperiantur, ſic nullum penè doctrinæ genus eſt cuius non habent principia & canones quaſdam generales ſua lingua deſcriptas. Quia prętcr Grammaticam (quàm vt dixi habent exactiſsimam) Rhetoricæ, & Dialecticæ, Geometriæ inſuper & Arithmeticæ regulas habent generales, & de Aſtronomia pariter & Coſmographia complures habent commentarios, quibus eorum vates plurimum ſtudij adhibuiſſe, ex eorum carminibus liquet. In Phyſicis & re medica habent quamplurima ad methodum tradita. In ſacris etiam literis habent etiam nonnulla pręſertim compendij in morem deſumpta, quæ vel ad hiſtoriæ cognitionem, vel ad morum compoſitionem ſufficere videbantur: Leges inſuper quibus municipes olim vſi ſunt, ante ſexcentos annos, peruulgatas habent, quibus patriæ mores elucent antiqui. Denique quod maximè ad rem de qua agitur ſpectat, hiſtorias habent tum productiores & fuſas, tum breues & contractas chronicorum in morem ſua lingua deſcriptas, non modo à prima gentis origine, vſque ad vltimi Regis, ex ſua gente videlicet, Cadowaladeri tempora, vbi Gaufredi tranſlatio deſinit, verumetiam abinde perpetuò vſque in Ludouici vltimi principis eorum æuum, quod in Edowardi regis An-

gliæ, eius nominis primi tempora incidit. Etſi hac poſteriori parte ſuorum duntaxat calamitates, ruinæ, & ſeruitutes potiſsimum declarantur, quod fidem eorum, qui hiſtoriam edidere, eò magis confirmare videtur, quo non tam laudanda quam vituperanda gentis ſuæ prædicare non verentur. Et in his nonnulla ſunt aliter alioqúe ordine tradita, quam à Gaufredo in ſua tranſlatione memorantur, quod non ab eo has quidem hiſtorias, ſed aliunde acceptas demonſtrat. Habent etiam fateor (vt reliquæ gentes omnes) nonnulla voluptatis potiùs gratia, quam vt fidem à quoquam exigant de Arthuro, Carolo Magno & ſimilibus confićta, quæ à fide dignis hiſtorijs facilè dinoſcuntur. Pręterea genealogias habent ſuorum maiorum ab antiquiſsimis temporibus in hæc vſque tempora perpetua ſerie deductas, eaſque tam multifarijs diuaricationibus diſpertitas, & ſubinde ad ſtirpes inſigniores iterum conuenientes, vt alia alijs fidem neceſſariò aſtruant, ac omni prorſus ſuſpicione liberent: Cuiuſmodi morem apud eos viguiſſe vel Giraldi Cambrenſis temporibus, idem libro ſuo, quem (ὁδοιπόρικον) inſcripſit, teſtatur: vbi Rheſi, qui tunc Demeticæ regionis, quæ nunc Auſtralis VVallia dicitur, Princeps erat, Genealogiam in multos retro anteceſſores recenſet: quæ quia ante quadringentos annos ab ipſo Giraldo memorata, cum ipſis, quæ etiam nunc habentur, genealogijs conuenit, magno ſanè indicio eſt, nihil ſuſpicionis ineſſe reliquis, quæ pariter apud noſtrates enarrantur. Atque hac in parte, videlicet Genealogijs maiorum

maiorum ſuorum obſeruandis, nemo, qui mores gentis (vel leuiter) nouerit, eos tantum non immodice curioſos, non iudicauerit. Nam & eorum nomina & cognomina ad id obſeruādum maximam præſtant commoditatem. Nempè, quæ vt minimum Auorum & plerumque Proauorum & Atauorum nomina pariter contineant. Et Bardi ſepædicti id maximè curant, vt in ſuis Encomijs cuiuſque quem prædicare ſtudent, Genealogiam, ad inſignem aliquam ex cognatione familiam deducant: vnde facilimum eſt, vtpote à domo ſatis per ſe nota, ad ſuperiora conſcendere. Quod moris, etſi maximè ad antiquitatis notitiam retinendam facere videtur, tamen minus apud eos obſeruari ſummopere cuperem, vtpote quod plus animorum genti plus ſatis tumidę, tribuit. Atque inde eorum nonnullos huiuſmodi vana ingenuitatis ſiue nobilitatis opinione ductos videas, qui & ſi ne teruntium quidem ſiue in ære, ſiue in cenſu habeant, ad aliquam mæchanicam artem ediſcendam vnde ſibi victum ſuppeditent, deſcendere dedignantur, vnde tot otioſos inter eos paſsim reperias, quot nuſquam gentium alias facilè eſt videre. Atque hinc tantam hæreditatum diuiſionem, vt nuſquam rarior fratrum concordia, nullibi cenſus exiliores, nec vſquam de agrorum iure atque finibus peruicaciores aut plures lites reperiantur. Cæterum id moris ad antiquitatem Gentis perpetuandam plurimum (inquam) confert. Quid, quod etiam Eccleſiæ gentis noſtræ vel inter primas totius regni extructæ, nec vllo inde tempore aut hoſtium vi, aut fortuito aliquo caſu ex integro deletæ Chronica ſibi

pecu-

peculiaria conficiebant, quibus & Eccleſiarum huiuſmodi fundaciones, dotationes, & incrementa pariter & detrimenta annotarunt, & res pręſertim inſigniores obiter in regno incidentes, vna etiam conſcripſerunt. Quales ex Eccleſia olim Metropolitica, nunc verò Cathedrali Meneuenſi, quæ & ſancti Dauid dicitur, ab ærarij illius nuper Præfecto, D. Ioanne Lewis mihi pridem delatæ fuerunt. Necnon huiuſmodi ex Eccleſia Landauenſi ſanè antiquitate ipſa ſuſcipiendæ, quibus Eccleſiæ illius fundatio & dotatio, terrarúmque ei conceſſarum dimenſiones & collimitationes Brytannicis cuiuſque ſoli terminìque vocabulis vetuſtiſsimis exprimuntur, ad meas peruenerunt manus. Ex quibus ad hãc quam molimur Hiſtoriæ Brytannicæ defenſionem, aliqua mihi inferius citanda ſunt, quibus multo maior fides adhibenda eſt (mea quidem ſententia) vtpote ab illarum Eccleſiarum collegis ſibi inuicem alius poſt alium ſuccedentibus, prout quidque incidebat, annotarunt, & in vnum tandem volumen redegerunt, quam vnicuiquam quantumuis fide digno, qui aut ſui temporis res geſtas, aut ab alijs acceptas ſcripto commendarit. Hæc omnia eo dicta volui, quo omnes planè perſpiciant, neque antehac defuiſſe inter Brytannos, nec adhuc deeſſe etiam literarum monumenta, quibus antiquitates eorum conſeruentur. Et quamuis incredibile ſit tam barbaram vſquam, támque ab omni humanitate remotam fuiſſe gentem aliquam, quin ſuæ gentis originem atque progreſſus, & res denique maiorum præclarè geſtas aliqua ſaltem ratione poſteritati tranſmiſerit. Multo mi-

nus credendum eſt gentem illam vſque adeò antiquitatis omnis tenacem & tandiu literarum ſubſidio adiutam, id maximè omiſiſſe. Quis enim ignorat id natura comparatum eſſe, vt cũctæ denique nationes omni ratione cupiant originem ſuam à tenebris vendicare, id quod Polydorus ipſe fatetur. Hinc Hyeroglyphicæ figuræ ante repertas literas, hinc eſt quod nonnulli maiorum ſuorum res memorabiles (ſicut Ioannes Saxo de ſuis commemorat) vel ſaxis & cautibus ipſis inſculpere curauerint: Hinc Poëtarum fabulę ſub ſtupendæ alicuius narrationis inuolucro confictæ videntur, vt eò tenaciùs hominum memoriæ inhęrerēt, libentiúſque cõmemorarentur, quo magis in ſpeciem admirabiles viderentur. Præterea quis dubitet fuiſſe nonnullos non minus olim inter gentes alias, qui gentis ſuæ hiſtorias ſuis quique linguis ediderunt fidedignas, quam nuper fuêre, qui Gallica, Hiſpanica, & Anglica lingua ſuorum temporum hiſtorias non minoris fidei quam Romani olim ſuorum ediderint. Quod ſi ab aliquo hominum genere (quos Barbaros appellant) obſeruatum ſit, ſanè id à gente Brytannica minimè omiſſum eſſe credibilius eſt, quippe quæ in rerum antiquarum inquiſitione, gentíſque & maiorum ſuorum genealogijs repetendis accurata (ne dicam curioſa) ſemper extitit. Cúmque ad hunc modum ſe res habeant, vnde potiùs petenda eſt rerum Brytannicarum notitia, quam ab ipſis Brytannis, quos primos huius terræ incolas fuiſſe, & veterum & recentiorum authoritas identidem confirmat, nec literarum ſubſidio, longè ante Romanorum in

Inſulam

Inſulam aduentum vel Romanis ipſis teſtibus, caruiſſe conſtat? Ideóque tam certa nobis Romani ſcriptores, quod ad gentis originem & progreſſum ſpectat, quam Brytanni ipſi nobis tradere haud potuerunt. Illi etenim quod recentiores eſſent Aduenæ, audita tantum literis mandarunt: At hij, cùm oculati fuerint teſtes, certiſsima fide quæcunque iam inde à primo huius terræ incolatu contigerunt, poſteritati ſuæ communicanda curarunt. Certum quidem eſt, Brytannos noſtros multis hic annorum centenarijs ante Romanorum aduentum floruiſſe, nec vllo vnquam tempore ſedibus omnes pulſos alio migraſſe, quo & linguam ſuam prorſus amittere coacti ſint, atque inde ſuæ antiquitatis obliuionem capere, quum cæteris nationibus penè omnibus hoc ſemel atque iterum per id temporis vſu veniſſe comperiamus: Nam quamuis ex his bene magna multitudo fuerit, quæ acerbioris fortunæ vi impulſa, pars in Cambriæ, quæ nunc VVallia vulgò dicitur, ſolitudines: pars in Corinnios, qui Cornubienſes nunc vulgo dicuntur, vtpote in præſidia multo omnium firmiſsima, quibus ab extrema penitus gentis internitie ſe tutarentur, pars nouas ſibi ſedes alijs in terris, vt Brytanni qui nunc Armoricam Galliæ partem accolunt, quærere cogerentur, tamen non locorum diuerſitas adeo originalem diſperſæ gentis linguam luxarit, quin poſt mille & eò amplius annos, eadem apud omnes lingua penè integra, neſcio quo fato, in hunc vſque diem

edurarit, vt alter alterum poſt paululum commertij mutuo habitum loquentem intelligat. De Armoricanis, Corinnijs & Cambrenſibus Brytannis loquor, ex vna gente videlicet Brytãnica, hij omnes deriuati ſunt. Tametſi Brytannicæ linguæ antiquitas puriùs apud Cambrenſes obſeruatur, vtpote & priſtinis adhuc ſedibus conſidentes & impermixtos. Vnde de hijs quidem tribus gentis partibus non inſcite quidem vulgò dicitur, vnam videlicet earum & patriam & linguam, at maiore ſuo compendio quàm damno (mea quidem ſententia) præſertim quoad ſoli verſuram amiſiſſe, idque de Armoricanis intellectum volunt. Alteram, linguæ iacturam feciſſe non item patriæ, quod de Corinnijs ſubinnuunt. Tertiam verò & patriam & linguam adhuc retinere, hoc de Cambris intellectum volunt. Cætera autem huius Inſulæ loca, vti primum Romanis vniuerſum orbem proterentibus, deinde Scotis & Pictis ſub declinatione Romani imperij in loca defenſoribus vacua irruptiones facientibus, hinc Angloſaxonibus ſub auxiliarium ſpecie ſuccedentibus, inde Dacis, tandem Normannis, & denique Anglis ipſis quaſi poſtliminio ceſſere: ita & eorum locorum vrbiúmque nomina penè omnia ſic inuerſa & immutata ſunt, ſuis quibuſque linguis nomina indere, vetuſtáque abolere ſtudentibus, vt ab harum quidem gentium ceu recentiorum linguis aut monumentis Brytannicarum rerum antiquitates eruere non tam procliue eſt, atque ex lingua ipſa Brytannica, quæ vt ante illas omnes in Inſula vigebat, ſic & in hũc vſque diem perdurat. Hæc igitur præfatu non indigna putaui, vt ſi deeſſent

deeſſent penitus Latini ſcriptores antiqui ad aſtruendam rerum Brytannicarum hiſtoriam, ab ipſis tamen Brytannis Authoribus, ſatis ad id monumentorum produci poſſe liqueat, quibus non minus fidei adhibendum eſt, quam Romanis ipſis, illis pręſertim in locis vbi à vetuſtis probatæ fidei authoribus, vſquequaque non diſsident, cuiuſmodi diſſonantiam inter eos minimè reperiri, ſequentibus oſtendere pro virili conabor.

Summa totius commentationis inſequentis.

TAmetſi de tribus potiſsimum rebus hacce commentatione noſtra diſſerere duntaxat ſtatueramus, videlicet de Bruto Brytanniæque vocabulo, Brennoque & Arthuro huius regni luminibus, qui vel prorſus à quibuſdam nuperis ſcriptoribus ex rerum memoria tolluntur, aut ita frigidè agnoſcuntur, vt eorum rebus geſtis & pro eorum merito decantatæ famæ plurimum detractum iri videatur, qua quidem opinione, etſi aliquot recẽtiores ſcriptores ducerẽtur, quia nemo tamen poſt homines natos exortus eſt preter vnum Polydorum (virum alioqui tum doctum tum probum & de re literaria non mediocriter meritũ) qui eo iudicij errore teneretur, vt totam penè veterem Brytannicorum regum hiſtoriam, pro vana, ficta, aut comentitia haberet: Is enim & quidem ſolus (quem ſciam) ſuo more

iocans, figmentum eſſe ſubinnuit Gaufredi Monemutenſis hiſtoriam, qui eius tantum operis interpres & non (quod Polydorus falsò autumat) author fuit, pauca de huiuſmodi hiſtoriæ fide & antiquitate mihi prius ſunt dicenda. Hinc de origine nominis tam gentis quam Inſulæ Brytannicæ, tum de Brenno huius regni ornamento non vulgari, cuius res geſtas maxima ex parte eleuari & ſupprimi intelligo. Poſtremò de Arthuro præcipuo huius Regni lumine & ornamento ſingulari, quod non tantum fuerit (id quod à quibuſdam negatur aut frigidè agnoſcitur) verumetiam talis fuerit, qualis ab hiſtoria recepta prædicatur, Rex nimirum illuſtris, dúxque bellorum multorum inſignis (fabulas de eodem, vt ferè fit de huiuſmodi viris excellentibus, aliunde confictas & adiectas excipio) argumẽtis quæ mihi probabilia quidem videntur, probare & planum facere enitar: Iudicium interim horum omnium candido & æquo Lectori relinquens.

QVOD

QVOD GAVFREDVS Monomutenſis, hiſtoriæ Brytannicæ quæ ſub eius nomine circumfertur, non Author, ſed duntaxat Interpres fuerit, déque ipſius Hiſtoriæ fide & antiquitate.

ETSI Gaufredo Monomutenſi ipſi id in Prohemio ſui operis atteſtanti fides habenda merito eſſet, ſe videlicet interpretis tantum officio functum in hiſtoria Brytannica edenda: Qui cùm ea tunc æſtimatione vulgo habitus eſſet, vt Aſſauenſis Epiſcopus tandem præficeretur, nec credibile ſit eum tam audaci facinore in arrogantiæ ac vanitatis ſuſpicionem apud omnes, & præſertim apud ducem Claudioceſtriæ, cui id operis dedicauit, venire voluiſſe. Verum quia hæc quibuſdam criticis ſufficere non videntur, paulò altius repetenda ſunt argumenta aliquot, quibus idem Gaufredus ab illa falſa calumnia vindicetur. Porrò quod ipſe primus Author illius hiſtoriæ non fuerit, vel inimicis teſtibus facilè cõprobatur. Neuburgus enim ipſe Dux Polydori, & Gaufredi primus taxator, Polydoro citante, multa de Arthuro ex priſcis Brytannorum pigmentis ſumpta & ab ſe aucta per ſuperinductũ latini ſermonis colorem,

honeſto

honeſto Hiſtoriæ nomine obtexiſſe Gaufredum ſcribit. Ex quibus ſanè liquet, ſi priſca huiuſmodi pigmenta erant, non tum primum à Gaufredo confiƈta fuiſſe. Pręterea VVillielmus Malmesburienſis, qui hiſtoriam à Gaufredo editam nuſquam viderat, vt neque videre poterat, nempè qui ante Gaufredi tempora floruit, de Arthuro & aliquot alijs in Brytannica tantum hiſtoria memoratis honorificam mentionem facit. Sic & Henricus Archidiaconus Huntingdonenſis in hiſtoria ſua, quam ante tranſlationem Gaufredi à ſe repertam. ipſum edidiſſe conſtat, multa de Arthuro & alijs à Gaufredo memoratis conſcripſit. Habeo item ipſe Chronica complura ſanè vetuſtiſsima, partim Latinè, partim Brytannicè ſcripta, quorum nonnulla ante Gaufredi tempora fuiſſe conſcripta multis euidentibus argumentis colligere licet. Et hæc quidem omnia hiſtoriæ à Gaufredo tranſlatæ planè ſuffragari videntur. Extant deinde apud me Annales peruetuſti, ſub Gildæ illius ſapientis nomine haud obſcurè quidem inſcripti, quos etſi iuſtum aliquod opus Gildæ illius eſſe haud temerè affirmauerim (tametſi libellum alium eiuſdem Gildæ nomine inſcriptum in Regia bibliotheca VVeſtmonaſterij nuper repererim, qui cum hoc meo libello diligenter collatus, ad verbum penè per omnia reſpondet) quia temporum in hoc deduƈta ſupputatio longè poſt Gildæ æuum protenditur, ex Gildæ tamen commentarijs per quendam antiquitatis ſtudioſum collectos eſſe facilè crediderim, eúmque qui ſic colligerit ante ſeptingentos annos ex temporum ſupputatione, quæ in ſcribentis tempora dedu-

deducitur, floruiſſe cenſuerim. Is à Leylando qui hunc librum apud me vidit, Nennius eſſe exiſtimatur. Sanè perantiquum eſſe, quicunque is fuerit, oportet: Antiquitatem enim tantam tum ſcriptio ipſa perquam vetuſta, tum Brytannicæ voces tam propriè interſertæ expreſſè redolent. Atque ad id comprobandum, hoc vel maximo argumento eſſe debet, quod author illius libelli verba faciens, de gentium numero, quæ Brytanniam ſuo tempore coluerint, ſic ait: Et in ea habitant quatuor gentes, Scoti, Picti, Saxones, atque Brytones: Hæc ille. Iamdiu verò id tẽporis fuiſſe oportuit, quod Picti in hac Inſula inhabitaſſe ſunt cogniti: Cùm Henricus Huntingdonenſis Archidiaconus, qui ante annos circiter quadringentos floruit, in hiſtoria ſua ſic ſcriptum de Pictis reliquerit. Quamuis Picti iam videantur deleti, & lingua eorum omnino deſtructa, ita vt iam fabula videatur, quod in veterum ſcriptis eorum mentio inuenitur: Hæc ille. In hoc porro libello ſiue Gildæ, vt inſcriptio præ ſe fert, ſiue alterius cuiuſdam peruetuſti ſcriptoris fuerit, nonnulla de Bruto & Arthuro memorãtur, quæ cum Gaufredi tranſlatione conſentiant. Eſt quoque apud me liber de prima fundatione Eccleſiæ cathedralis Landauenſis, quo prædiorum omnium, quæ iam poſſident Eccleſiæ illius miniſtri continentur conceſsiones, latinè quidem illæ, terrarum verò & prædiorum huiuſmodi limites Brytannicè ſcriptę, quę maximam antiquitatem referunt, inter quos & Arthuri regis aliquot donationes ad verbum vt factæ ſunt continentur. Brytannicæ verò dictiones tam vetuſtæ ſunt, vt

haud facilè quidem legi, ſed multò difficilius ex integro intelligi vel à linguæ Brytannicæ erudito hac tempeſtate poſsint. Præterea nemo arbitror dubitabit, quin iam dictum eſt, quod Sanctus Dauid in Diuorum numerum relatus ſit, hoc vel baſilica illa Meneuiæ in eius memoriam iam ſæculũ penè exactum ſanè perquam magnificè conſtructa, ſi nihil aliud, atteſtabitur, vbi olim Metropolis totius Cambriæ, nunc vero Cathedralis ſedes Demeticæ regionis quæ Meneuia dicitur, conſiſtit. Habemus quidem illius Diui, necnon & Sancti Dubritij illius apud Caſtra Legionum præceſſoris vitas, varijs exemplaribus cùm latina, tum vulgari lingua conſcriptas, quibus Rex ipſe Arthurus ſanctum Dauid loco Dubricij ſuffeciſſe Epiſcopum apud Caſtra legionum, (vrbem ad Oſcæ fluminis ripã ſitam) memoratur. Quódque Sanctus ille Dauid breui poſt tempore hinc ſedem epiſcopalem, ob perpetuos bellorum tumultus qui illic agitabantur, Meneuiam vbi nunc eſt, tranſtulerit, & horum non minus antiqua, certaque & conſtans habetur Meneuiæ recordatio, quàm Baſilicæ illius prima inſtitutio, eiuſque antiſtitis Dauid ἁγίου, (ſic enim in ſua vita cognominatur) in Diuorum numerum relatio. Quod ſi hæc vera, certa, & indubitata ſunt, ipſum videlicet ſanctum Dauid Epiſcopum fuiſſe, & ſedem Meneuiam tranſtuliſſe, & illa de Arthuro memorata non minus fidei apud omnes habere debent, quando illa ijſdem monumentis quibus hæc declarantur, adſeri & confirmari conſtet. Eſt etiam apud me libellus perantiquus in modum Annalium latinè compoſitus, ex ærario Meneuenſi à docto ſanè viro & antiquitatis Brytannicæ

nicæ ſtudioſo Ioanne Lewis illius ærarij præfecto, qui nuper obijt, delatus, vbi precipuæ clades, quæ Eccleſiæ Meneuenſi eiúſque territorio à prima eius fundatione acciderunt, memorantur. In quo paſsim habentur nonnulla, & præcipuè de Arthuro breuiter perſtricta, quæ in hiſtoria Brytannica aſſeuerantur. Ad hæc, ſi quicquam Brytannicis ſcriptis habenda eſt fidei, extant Annales aliquot Brytannici iam inde à Bruto ad poſtrema vſque videlicet Ludouici vltimi principis VValliæ tempora, perpetua quadam ſerie deducti, quos alios quam ipſum Gaufredũ habuiſſe authores hinc colligo, quia nullam de Gaufredo mentionem faciunt, & quædam aliter referunt quam in Gaufredi tranſlatione habẽtur: Etſi hi quoq; in ſumma cum hiſtoria à Gaufredo traducta cõueniunt. Habemus deniquecarmina nonnulla antiquiſsima vatis illius, ſiue Bardi inter Brytãnos famigerati, Thalieſsini qui tempore Mailgonis regis floruit, quæ ante annos plus minus mille compoſita ab eo fuiſſe nemo eſt qui inficiari poſsit, ac id phraſis ipſa ſatis indicat, & non tam à fidicinis Poëtíſque noſtris memoriter retinentur, ac per manus tradita conſeruantur, quàm ſcriptis inde libellis quamplurimis poſteritati commendantur. Ea quoque teſtimonio ſunt (mea quidem ſententia) irrefragabili ad Arthurum præcipuè aſſerendum, nempè quem ſuis carminibus ad Vrianum Rhegadum eius militem ſcriptis paſsim, vt occaſio incidit, miris effert laudibus. Deniquè vt hæc hiſtoria à Gaufredo minime conficta videatur, eſt quod ex Latinis authoribus maximè præclaris

ad huius hiſtorię fidem confirmandam adduci poſsit. Quia videlicet nonnullorum Regum Brytãnicorum ab ipſis Romanis ſcriptoribus paſsim in eorum commentarijs mentio fit. Qui quidem Reges in hac hiſtoria nempè Brytannica, per idem tempus, quo illi floruiſſe affirmant interſeruntur. Nempè à Cęſare Caſſiuellauni, Brenni ex Liuio & Iuſtino, Cinobelini à Suetonio, Aruiragi à Martiali, & Lucij Regis ab Euſebio: Carantij verò, Coeli, Conſtantij, Conſtantini, Maximij, Aurelij Ambroſij ab Eutropio Paulóque Diacono, & aliorum aliquot ab alijs authoribus Latinis. Tales quidem hic floruiſſe reges, nemo arbitror, inficiabitur, quia ab his authoribus Romanis, eorum nomina à tenebris vindicãtur. Reliqui verò infœlices, quod in Romanorum monumenta relati non fuêre, Eboracus, Dunwallo, Belinus cognomento magnus, Lud, Londini vrbis inſtaurator, & poſtremo Arthurus ille gentis præcipuus aſſertor. tam illuſtris, vt antiquitas eum inter pares nouem ex totius orbis maximè inſignibus Heroibus ſelectos retulerit, ex quorum numero iam ſolus (neſcio quo fato) eximitur ipſe Arthurus, tametſi ex reliquis vllum, nemo eſt qui reijcere audeat. Sed de hoc poſt plura. Hæc ſunt quę ante Gaufredi tempora planè cõprobent hiſtoriam ab ipſo tranſlatam nequaquã à ſe originem ſumpſiſſe. Iam ad eam quę ipſum ſubſequuta eſt tẽpeſtatem, veniamus: Quo quidem tempore, ſi talia fuiſſent à Gaufredo prodita, qualia ab aduerſarijs obijciuntur, cõmodiſsimum iuxta ac facillimũ erat cuiuis ea ſtatim refellere, vt in lucem edita ſunt. Nullum enim humanæ rationis inuẽ-

tum Euangelicę fidei perinde aſtipulari videtur, atque quod nullus tam impudens inter tot hoſtes Euangelij repertus fuerit, qui rei geſtæ, cùm id primum per orbem diuulgaretur fidem eleuare conatus eſſet. Quod ab Euſebio & Marſilio Ficino pro Chriſtianæ religionis defenſione adducitur. Sic quoque & pro noſtro inſtituto facere debet, quod nemo repertus ſit, quum hęc noſtra, quam Gaufredus Monomutenſis tranſtulerit, hiſtoria in publicum primùm prodiret, qui eam improbare ſtuduerit. Etſi non defuêre ſcriptores aliquot eruditionis (vt ea ferebat ætas) non aſpernandæ, quum hæc, de qua ſermo eſt, hiſtoria Brytannica Latinis auribus redderetur, qui tam recẽtia & ante prorſus inaudita, ac vno quaſi partu (vt Polydori verbis vtar) prolata & in orbem effuſa, ferre nullo modo potuiſſent, quin illis continuò vt ædita ſunt, palàm reclamaſſent, imò ſcriptis æditis contradicere nequaquam pepercisſent. A quo tantum abfuêre, vt ea ſuis libris paſsim aſſeuerauerint. Nempè Henricus Huntingdonenſis, vt ea quę ante viſam Gaufredi traductionem hiſtorię ſuę de rebus Brytannicis aliunde acceperat, interſeruit, ſic & illa quæ poſtmodum ex Gaufredi tranſlatione plenius didicit, adeò non improbauit, vt deſcriptam inde Epitomen hiſtoriæ poſtea ſuæ Coronidis vice adiecerit. At ne hinc primum ea accepiſſe quis putet, quæ de origine gentis Brytannicę in hiſtoriæ ſuæ limine prius aſſeuerauerat, legat qui id diſcutere volet. Et initium hiſtoriæ ipſius Henrici (quam ante Gaufredi tranſlationem à ſe viſam fuiſſe editam, tum ex Gaufredi tranſlatione ad calcem, tum ex ipſius Henrici libro de ſum- Henricus Hunting.

mitatibus rerum, epiſtola ſecunda palàm conſtat.) Et ipſum Henricum eadem quæ Gaufredus de origine gentis Brytannicæ aſſeueraſſe, & ea aliunde quàm ex Gaufredi tranſlatione accepiſſe comperiet. At hic forſan obijcietur, Henrico Huntingdonenſi ob Brytannicæ linguæ imperitiam facilè imponi potuiſſe, vt crederet in Brytannorum Annalibus extare, quæ nuſquam reperirentur. Vt concedam Henricum eius fuiſſe linguæ ignarum, non tamen defuêre tunc temporis, alij quamplurimi viri eruditi, qui Latinam iuxta ac Brytannicam callerent, quos ea de re conſulere potuiſſet, quibus fucum facere non æque erat procliue. In his erat doctrinæ non aſpernandæ, & in rebus Brytannicis cognitionis eximiæ vir, Giraldus Cambrenſis hiſtoricus, & ipſe rerum Brytannicarum fideliſsimus, qui Regi Henrico ſecundo admodum familiaris, & in expeditionibus in VValliam & Hiberniam perquam neceſſarius, comes fuit. Hic, inquam, etſi in Gaufredum parum æquus, æmulatione quadam inter eos, nimirum ex mutua literarum contentione gliſcente, videretur, vt ex ipſius ſcriptis ſatis liquet, hiſtoriæ tamē Brytannicæ à Gaufredo tranſlatæ vbique ſuis ſcriptis aſtipulatur. Deinde Alured⁹, Houedenus, Radulſus Ceſtrenſis, Ioānes Anglicus, Geruaſius, & quotquot vnquam in hiſtoria huius regionis enarranda deſudarunt; ſummo conſenſu traductionem Gaufredi approbare; imò ſuis ſcriptis commendare non dubitarunt, quos, vtcumque eos Polydorus contemnat, vtpote contra eius ſententiam ſcribentes, reijciendos minimè eſſe cen-

ſeo,

ſeo, nempè ab hijs qui ſimplicem & nudam rerum geſtarum veritatem cognoſcere cupiunt, & non potius ſermonis cultum & elegantiam, hi quidem ipſa regum diplomata, ædicta, fœdera pariter & literas, ipſa videlicet veritatis ſymbola, &, vt ita dicam, ſigilla, ad verbum ſuis hiſtorijs intertexunt. Quin maximè Polydoro ſuſpiciendi, & non ſine accurata honoris præfatione celebrandi iure erant, vtpote è quibus potiſsimum ſuam hiſtoriam concinnauit. Quum grati ſit animi his à quibus aliquid mutuatus ſis acceptum referre, ac id palàm agnoſcere, ingenuéque pofiteri. At vt ad rem redeam, Dubitari ne poteſt iam de hiſtoriæ Brytannicæ fide aut antiquitate, quam & ante Gaufredi tempora, & ipſo tranſlationis tempore, & poſt à tot eruditis viris támque antiquis monumentis approbatam eſſe conſtat? Neque id ſolum à ſcriptoribus noſtris, verumetiam ab Anglis pariter ac Latinis authoribus antiquis, nedum recentioribus. Nam vt de eorum ſuffragijs, qui Gaufredum ſubſequuti ſunt curioſior aliquis dubitet, etſi hoc quoque hominis eſſet nimium increduli, quid illis obijciet, qui ipſum Gaufredum tempore præceſſerunt? Nonne & ipſi in Gaufredi, qui nondum extaret, gratiam, quæ de rebus Brytannicis ſcripſère commemorant? Atque vt maximè Brytanni ſcriptores ſuis rebus fauere credantur, quid verò exteri? Idem ne illi factitare credendi ſunt, qui quamminimum Brytannis tribuiſſe dinoſcuntur? At aduerſariorum teſtimonio nihil locupletius. Vt hæc omnia ab aliquo in ſua ſemel

con-

concepta opinione pertinaciùs inſiſtente reijciantur. Quid authoribus Romanis reſpondebitur? Qui dum ſparſim ſuis libris, de rebus Brtyannicis agere ſe infert occaſio, eadem ferè rerum euenta commemorant, quæ in hiſtoria a Gaufredo traducta habentur, planè Gaufredum ipſius hiſtoriæ primum authorem minimè fuiſſe comprobãt. Nemo enim inficiari poteſt in hac noſtra non tam Regum ipſorum vt iam dictum eſt, quàm vrbium & Fluuiorum aliquot nomina & eadem fere rerum euenta recenſeri quæ ab Cæſare, Suetonio, Tacito, & alijs quibuſdam Romanis authoribus memorãtur. Vt de Cæſaris ipſius in Brytanniam aduentu, quod Caſsiuellanus fuerit dux bellorum contra Cæſarem, quod Cæſar ipſe primo congreſſu citra victoriam abierit: quod interea dum redit, Trenouanti Dux Cæſaris fidem ſequutus ad eum in continentem venerit eius auxilium imploraturus cõtra Caſsiuellauni iniurias: quod ſudes peruſtæ Thameſis alueo defixæ fuerint, quæ Cæſari impedimento eſſent ne tranſirent flumen: Quodque tandem Cæſar Inſulam vectigalem reddiderit. In ijs quidem omnibus pulchrè conuenit Cæſari cum hiſtoria Brytannica, etſi ea quæ labeculam aliquam ſuæ gloriæ reſpergerẽt, Cæſar aliquãtiſper immutauit. Nam quod noſtri vna cum Lucano, teſte quidem Romano, de eius fuga ſcriptum reliquerunt, ille vi tempeſtatis adactum ſe abijſſe ſcribit, tametſi vel ex ipſius commentarijs hoc colligere licet, quod hiſtoria Brytannica de eius refert fuga, quando abitum ſuum (ne dicam fugam) tam celeriter adornaſſe, tam feſtinanter ſe arripuiſſe ſcribat, quodque ad primum eius aduentum in Brytanniam non tam

proſperè ei cõtigerint omnia, quàm ipſe refert. Quum ad ſecundum aduentum duplo quàm prius inſtructior redierit, quod minimè fuiſſet opus, niſi ſe viribus inferiorem ad primum eius aduentum agnouiſſet: Nec ſecundò quidem redijt, niſi poſtquam Mãdubratius dux Trenouanti eius (vt ait) fidem ſequutus eſt. Potuitne ille Dux fidem eius ſequi nempè Brytannus, niſi prius fidem ſuæ patriæ generíq; debitam deſeruiſſet, nepharius & ſceleſtus proditor? Nónne id planè hiſtoriæ noſtræ ſuffragari videtur, palámque oſtendit, non tam armis quàm proditione & inteſtinis ciuium odijs & factionibus ſubactam hanc Inſulam fuiſſe? Hæc inquam Cæſaris etſi paululum à vero detorta, fidem hiſtoriæ noſtræ maximè ſtabiliunt: quæ quidem omnia à Cæſare aſtutè (quo erat ingenio) inuerſa, citra fucum aliquem noſtra hiſtoria apertè dinarrat. Nec Gaufredum ex Cæſare aliquid horum accepiſſe, dum hæc & multa alia aliter quam in Cæſare habentur, relata, tum præcipuè nominum diſcrepantia comprobat. Qui enim Mandubratius & Imanuentius apud Cæſarem, ij in traducta hiſtoria à Gaufredo Androgeus & Teneuantius dicuntur. Si ex Cæſare hæc mutuatus fuiſſet Gaufredus, ſanè in hijs nominibus ex æquo conueniſſent vtrique. Quorſum enim attinebat in hijs nominibus diſcrepare? Sed luxari (dixerit quis) hæc nomina interim potuêre. Id potius in Cæſare contingere potuit, fateor, quàm in Gaufredo, qui cum tot centenarijs annorum ſubſequutus eſt. Ex quo nomina ſic, vt eſſent apud ipſum Cæſarem, mutilata deſcripſiſſet Gaufredus. At Androgeus à Beda quoque appellatur,

Androgii ex Beda, Mandubratii ex Cæſare nomina reſtituta.

qui à Cæſare Mandubratius dicebatur, quod nomen videlicet Androgij etſi propius brytannico ſit, luxatum tamen paululum apud vtrumque crediderim. Nam Auaroius, ſi ſecundum britannicam nomē claturam ducatur, dici deberet: Atque ad eum modum iam olim à Beda ſcriptum eſſe facile crediderim, & à librarijs poſtea deprauatum. Et ſi quis attentius conſideret, facilem exiſtimabit lapſum, vt n. pro u. d. vero pro a. (vt à Librarijs aliquot non ita pridem paribus ferè formis deſcriptæ erant) g. vero pro i. ſimilitudine ſoni decepti tranſcribentes ſumerēt. Quemadmodum & Labienū à Gaufredo pro Laberio mēdoſe ſcriptum arbitror. In huiuſmodi enim latinis nominibus, Romanis potius authoribus fidendum duco, vt econtrà in Britannicis, hiſtoriæ britannicæ & rerum brytannicarum ſcriptoribus. Sic & Sulpitium apud eundem Gaufredum pro Simplicio, qui Epiſcopus Romanus tempore Arthuri eſſet, corruptè legi cenſeo, id quod ex Euſebio colligo, qui talem circa id temporis Epiſcopum Romanum fuiſſe ſcribat. Sed vt illa nomina, quis maximè ſuſpicax ex Cæſare mutuatum eſſe etſi perperam deſcripſiſſe Gaufredum putet, quorſum attinebat in eo diſſentire, quod Gaufredus eum videlicet Teneuantium, qui Cæſari Imanuētius dicitur, fratrem Androgij, ſiue vt Cæſar habet Mandubratij fuiſſe ſcribat, quem Cæſar patrem huius fuiſſe dicit, quando inter vtrumque conuenit, illum ipſum Imanuentium ſeu veriùs Teneuantium in Trenouantum Ciuitate principatum obtinuiſſe, & poſt eum Mandubratium, qui Androgeus à Gaufredo & Beda dicitur, fidei Caſsiuellauni commiſſum,

Laberii nomen reſtitutum.

Sulpitius pro Simplicio deprauatè ſcriptum.

ſum, poſt ob iniurias aliquot ſibi a Caſsiuellauno illatas, ad Cæſarem in continentem traieciſſe, & iunctis cum eo viribus in Patriæ ſuæ viſcera gladium conuertiſſe? Si ex Cæſare deſumpta fuiſſent hæc omnia à Gaufredo, ſeu quouis alio, in hijs nominibus, & præcipuè in eo quod Imanuentius pater Mandubratij diceretur, haud dubiè conueniſſent. Nam vtcunque in rerum euentis fortè, ob quædam glorioſius, quàm ſe res habuiſſet in ſuæ gentis gratiam à Gaufredo dicta variaſſent. Quid huius (inquam) retulit in hijs ſaltem nominibus, cognationiſque gradibus variare? Quando vtrumlibet horum verum ſit, quod ab alterutro affertur diuerſum, nihil in laudem aut vituperium alterutrius gentis ſonare videretur? Imo Cæſar ipſe lapſus eſſe hac in parte exiſtimandus eſt, qui Suetonio teſte, vt poſt dicetur, Commentarios ſuos parum integra fide compoſuiſſe ex Pollinij Aſinij ſententia creditur. Quare & illa in quibus conueniunt nomina, rerumque ſeries penè eadem palam faciunt Gaufredum non ea primum ex ſuo ipſius cerebro (vt aiunt) excogitaſſe: Cum ante tot annorũ centenarios à Cæſare commemorentur, & hæc in quibus diſcrepant vna oſtendunt Gaufredum hiſtoriæ ſuæ materiam ab alijs ſanè perantiquis authoribus etſi non Romanis ſibi ſubminiſtratam accepiſſe. Nempè cum hæc iam dicta ex ſolo Cæſare, Regúmque nonnullorum (vt ſuperiùs commemoraui) nomina, ex tot diuerſis authoribus, hiſque tempore Gaufredi non extantibus, petenda forent. Vtpotè ex Liuio, Suetonio, Martiali, Cornelio Tacito,

 Euſebio,

Euſebio, & alijs nonnullis huiuſmodi authoribus reconditis. Quis, non dico non veriſimile ſed impoſſibile fore non videat, vt Gaufredus illo præſertim ſæculo natus, quum hij authores in tenebris deliteſcerẽt, vt eorum habere copiam minimè potuiſſet, aut ſi haberet, ea omnia quæ ipſius habet traductio cum Romanis habet communia, tam varia, & tam latè per tot Authorum volumina diffuſa atque diſperſa tam commodè ſuis quæque locis & temporibus ferruminare, et in vnum hiſtoriæ corpus redigere potuiſſet? Neque eo tantum opus erat illi, verumetiam tẽpora intermedia, quibus Romana ſilet hiſtoria, ſupplere, Regúmque nonnulla tum nomina tum res denique geſtas fingere, & tam commodè interſerere, vt hijs quæ à Romanis cõmemorãtur authoribus adamuſſim conuenirẽt. Quod ſi abſurdum quidem ſit, vt reuera eſt, ſuſpicari, quum nonnullos alios Reges & Principes, hos abinuicẽ tam remotos interceſſiſſe neceſſe ſit, qui à Romanis authoribus pretereantur, vnde illorum res interim geſtæ potius petendæ ſunt, quàm ex Brytannica hiſtoria, quæ tempora intermedia cõmodè ſupplet, & quę illis acta fuêre recenſet? Quę quidem, vt cętera, ſi non à Romanis authoribus vt demonſtratum eſt, deſumpta fuêre, à recentiore quidem ſcriptore aliquo tam vetuſta depromi nullo modo potuerũt. Quare reliquũ eſt, vt quemadmodum Gaufredus ex vetuſto quodã Brytãnico libro hęc hauſerit, ita & illius vetuſti authorem ex alijs antiquioribꝰ, ea quæ tractat ſumpſiſſe, quæ etſi iam nõ extent, tunc quidem extitiſſe haud dubium eſt, vnde illa eadem nomina & ipſa rerum euenta, quæ à Cæſare

Ex Gilda mihi videtur tranſcripſiſſe pleraque, idque ex chronicis coniicio brytannicis, quibus citatur Gildas ad ea comprobãda, quæ cum hiſtoria Gaufr. conueniunt.

Cæſare & alijs antiquioribus memorantur, & alia ab eis prætermiſſa collegiſſe videri poſsit. Quæ cùm ita ſe habeant, adeo ne noua hęc dici hiſtoria debet, vt Polydorus vult, quæ à Gaufredo ante annos quadringentos tranſlata eſt? Cùm prius & vetuſtiſsimis ante ipſius tempora ſcriptis tradita fuerit, & à nonnullis qui eum præceſſere & ſubſequuti ſunt ſcriptoribus paſsim cõmemorata, neque à quoquam pręterquam vno Polydoro ex integro in dubium vocata ſit? Sanè & peruetuſtam & longè ante Gaufredi tempora decantatam, cuiuſcuius fidei habeatur, fuiſſe neceſſe eſt. At ſi Polydorus, vt præ ſe fert, ne quicquam fidei huiuſmodi vulgatæ hiſtoriæ habendam cenſet, quid eſt quod eam hiſtoriæ ſuæ ſcilicet fideliſsimæ, contextui interſerit, ac non potiùs à Latinis tantum ſcriptoribus tradita conſcribit? Cur eam ſuis ſcriptis immiſcere dignatur hiſtoriam, quàm improbat? Cur ita vera falſis (vt ipſe ſentit) commiſcet? Sanè dum id agit, quibuſdam hoc de eo ſuſpicandi dat occaſionem, videlicet id apud ſe cogitaſſe. Si ea tantum commemoraſſet quæ ex Romanis ſcriptoribus deſumerentur, quod tunc in hiſtoria ſua multa deſideratum iri, videlicet medio tempore acta, quo Romana ſilet hiſtoria, nam ea, continua oratione, vel vnius æui res geſtas in Brytannia haud commemorat, ſed ſubſultim & carptim, velut per longa inuicem diſtantia temporum interualla, prout res Romana duntaxat exigebat, perſtringit. Cuiuſmodi narrationem, ſi & ipſe inſtituiſſet, ſcopas diſſolutas veriùs quam hiſtoriam referre viſus fuiſſet. Si verò totum Brytannorum tempus intactum reliquiſſet,

tantiſpèr dum ad Anglorum tempus ventum eſſet, tunc occaſionem ei prætermiſſam videbat, quæ ſuæ gentis, nempè Romanæ victorias, laudéſque celebrare, & ſub hiſtoriæ huius regni prætextu literarum monumentis conſecrare poſſet, quod potiſsimùm toto opere ſuo ſatagere videtur. Quare ex vtraque hiſtoria vnam concinnat, ſed ſic, vt ea quę ex Brytannica duntaxat mutuatur, improbet, quæ verò ex Romana deſumit tantùm probet. At neceſſe eſt aliqua (vt ſuperiùs retuli) medio tempore contigiſſe, quo Romana ſilet hiſtoria, vt concedam vbi Romana habetur à Brytannica diuerſa, illi potiùs fidem adhibendam quàm huic: Etſi hoc quidem inter ipſos latinos authores non ſatis conſtat. Nam & Lucanus, vt iam dictum eſt, fugam appellat illum, quem Cæſar receſſum ſuum dicit, ſcribens in hunc modum:

Lucanus de Cæſaris fuga ex Brytannia.

Territa quæſitis oſtendit terga Brytannis.

Tacitus. Suetonius.

Deinde Tacitus, Cæſarem oſtendiſſe Romanis Brytanniam potius quàm ſubegiſſe ſcribit. Et Suetonius Commentariorum ipſius Cæſaris fidem ex integro vellicare videtur. In vita ipſius Cæſaris de eiuſdem Commentarijs in hunc modum ſcribens, Pollio Aſinius parum diligēter, parumque integra veritate compoſitos putat. Quum Cæſar pleráque & quæ per alios geſta erant temerè crediderit, & quæ per ſe vel conſultò vel etiam memoria lapſus perperam ediderit, exiſtimátque reſcripturum & correcturum fuiſſe: Hæc ille. Quis enim dubitet Cæſarem ex Romanis qui omnes ſemper laudis auidi fuêre, virum quotquot vnquam eſſent gloriæ auidiſsimum, vt omnes de eo Romani

Pollionis Aſinij de Cæſaris Commētarijs cēſura.

ſcriptores

ſcriptores affirmant, quàm parciſsimè de ſui ipſius parùm proſperè geſtis ſcripſiſſe, & ea quæ aliqua laude digna viderentur (quo erat ingenio & eloquentia) ſupra rei dignitatem extuliſſe? Sed ille omnia, quæ ſibi contigêre aduerſa, verbis immutatis miro artificio obtexit, quum ſuos perterritos loco ceſsiſſe, ſe verò tempeſtatis vi adactum, reditum adornaſſe, idque ob hyemis iam inſtantis vehementiam maxima celeritate paraſſe ſcribat, vbi eum & ſuos fugam arripuiſſe & acceleraſſe, ęquus rerum ęſtimator retuliſſet. Sic & alios Romanos authores ab alijs (vt poſt dicetur ſuo loco) non minus fide dignis authoribus, qui propiùs noſtris accedant, redargui demonſtrabimus. Si hijs igitur quę ab ipſis Romanis tradita ſunt authoribus, non omnino tutiùs fidendum eſt quàm noſtris, quid de reliquis, de quibus Brytannica duntaxat habetur hiſtoria, dicendum eſt? Brytânicę ne hiſtorię, quam tam diu ſcriptam & vulgo receptam fuiſſe conſtat, an potiùs coniecturę duntaxat cuiuſuis, qui illam poſt tot annorum curricula iam decurſa, in dubium trahere moliatur? nemo arbitror tam iniquus fuerit æſtimator, qui id dubitet, quin tam vetuſtæ hiſtoriæ fidem eatenus habendam eſſe cenſeat, quatenus alia fide digniori non diſcrepet. Sed quia iam ſatis ſupérque arbitror Gaufredum ea calumnia purgatum, qua putabatur dictam hiſtoriam ex ſuo ipſius (vt aiunt) cerebro excogitaſſe, ad reliqua properandum eſſe cenſeo.

De Brytanniæ Etymologia Diſquiſitio.

ET primũ de Brytãniæ vocabulo, cuius denominationi, videlicet à Bruto Siluij filio deductæ, non tam ab ipſo Polydoro, quàm ab alijs aliquot viris eruditis, nempè Aenea Siluio in ſuo de rebus Bohemicis libello, & à Ludouico Viue ſuo de diſciplinis Cõmentario contradici intelligo, pauca mihi diſſerenda ſunt. Non autem id mihi aſſumo, vt eam nominis Etymologiam authoritate aliqua irrefragabili probẽ. Id enim difficillimum eſſet poſt tot millenarios annorum præſtare, præſertim cùm literarum monumenta penè omnia pręcedat, exceptis forſan hijs, quæ retro accepta, & per manus à tot ſęculis tradita, ad poſteritatem deuenêre: Satis quidem meo inſtituto factum iri cenſeo, ſi ea quę ab aduerſarijs hiſtoriæ diuulgatę contra huiuſmodi vocabuli rationem prodita ſunt, nihil ſolidi afferre demonſtrauero, quo minus vetus & tam diu recepta Brytanniæ Etymologia vera eſſe poſsit. Polydorus enim à Bruto eam ſic denominari non putat, hac potiſſimum coniectura ductus, quod tunc potius Brutannia quam Brytannia (Latini ſermonis Etymologia id nimirum exigente) dici debuiſſet, ſi à Bruto denominaretur. At ego ipſum rurſus interrogauerim, cur non conſulium potius quam conſilium dicimus, cùm à conſulendo deriuetur. Tametſi in locorum hominúmque nominibus, præſertim ab exterarum linguarum origine

Æneas Siluius de rebus Bohemicis.

Lud. Viues de Diſcipl.

ne deriuatis, latini ſermonis analogia non eſt tam curiosè obſeruanda. Huius tamen vocabuli analogia & ratio ſatis adamuſsim reddi poteſt. Nam quamuis ſic ſcribatur Brutus tam Latinis quàm Brytannis, non eo tamen apud Brytannos ſono, quo apud Latinos effertur, verùm medio quodam inter e, & i, vt in hijs vocabulis Brytannicis (mût) pro muto (vn) pro vno: quod cùm hæc à quouis Brytanno proferri audies, clariùs deprehendetur, quàm vt literis explicari poſsit: Et ideo apud Brytannos Cambrenſes, pro y, plerumque vſurpatur v, vocalis, vnde cùm ſic ſonetur Brutus vt (Brytys) hinc conuenienti ratione Brytannia vel Britannia dicta eſt hęc Inſula Latinè, & Bry tánicè (Brytain) vt Lyndain, Rhyuain, apud eoſdem pro Londino, Roma, pari analogia. Et magna item eſt apud Latinos etiam harum vocalium v, & i, affinitas, vt optûmus, decûmus, inclûtus, à veteribus dicerentur, quæ nunc optimus, decimus, inclitus dicuntur. Sûlla olim qui nunc Silla dicitur, & innumera huiuſmodi alia. Neque nouum eſt quod aliæ vocalium in alias tranſeunt, in eiſque ſæpè vocabulis, prout temporis mos obtinet, nedum in deriuatis, maximè ab extera quauis lingua. Vnde & Grecè βρεταννια dicitur hæc Inſula, per e, in prima, cùm Latini per i, & Brytanni per y, primam eiuſdem ſcribant. Quare nihil obſtat hæc argutia Polydori, quo minus à Bruto Brytannia dici poſsit. Inſtat tamen Polydorus, & ait, quemadmodum Ludouicus Viues obiter ſuo de Diſciplinis libro, vbi de hiſtoria tractat, perſtrinxit, neque Liuium, neque Dionyſium Halicarnaſſenſem, ſuis libris vllam de Bruto mentio-

Londini & Romæ vocabula Brytannica.

nem feciſſe, qui Siluij eius nominis primi Latinorum Regis filius foret. At non hinc ſtatim conuincitur, nullum huiuſmodi fuiſſe. Nam vt talem fuiſſe eius filium non commemorant, ita nullum habuiſſe filium præter Siluium haud prorſus aſſeuerant. Quod ſi alteruter horum affirmaſſet, id denique pro ſolido argumento in nos retorqueri poterat. Verùm nunc, vt concedam quicquid ab eis affirmetur, pro veriſsimo haberi, quod ab omnibus tamen concedi non video, vſque adeò tamen eorum authoritati quantumuis magnȩ deferendum non cenſeo, vt quicquid item ab eis circa res de quibus agunt, intactum relinquitur, id continuò vt falſum & fictum habeatur. Quis etiam ignorat hos authores, videlicet Liuium & Dionyſium in id potiſsimùm incubuiſſe, vt eos duntaxat commemorarent, qui è Regia ſtirpe prognati regnum in Latio obtinuerant, è quibus Romani ipſi genus ſuum traxiſſe dicerentur? Nam quos filios liberóſue præterea quiſquis habuerit ſcribere non profitentur, tantæ tamen obſcuritatis illud vel tunc temporis erat, vt Siluium ipſum illius gentilis nominis principem, ille Aſcanij, hic Aeneæ ex Lauinia filium, diuerſa inter ſe opinione affirmet. Deinde Liuius pro certo affirmare non audet, hiccine fuerit Aſcanius an Maior quàm hic, Creuſa matre Ilio incolumi nat⁹, qui & Iulus dictus eſt. Quis enim (inquit) rem tam veterē pro certo affirmet? Quod ſi Regum ipſorū qui ex Siluiorū familia oriundi erant, de quibus potiſsimū ſcribere inſtituerant, vſq; adeò ignari fuêre, quid mirum ſi Brutū Siluij illius filiū, quem vtpote Latinorū regno minimè

potitum,

poſitum, nihil ad rem de qua potiſsimùm agere inſtituerant, facere viderent, intactum reliquerint. Verum vt Romanis curæ potiſsimum erat, gentis ſuæ Principes enumerare, Sic non abſimile vero videtur, Britannos ſuæ gentis authores non minori cura obſeruaſſe, & poſteris per manus tradidiſſe, vel ſaltem ſcripto commendaſſe. Sed hîc nobis obijciet forſan alius: Si vel fama aliqua huiuſmodi de Bruto, qui Romanus origine fuerit, quum Cæſar hic ageret, in ore vulgi agitata fuiſſet, idipſum Cæſarem & reſcire oportuit, & hoc Cõmentarijs ſuis prodere minimè omiſiſſet: Cui ſic reſpõſum velim: Si Beda & Polydorus, qui in Inſula Britannica perpetuò commorati, tam abſurdè tamen lapſi ſunt in primis huius terræ Incolis aſſerendis, vt à quouis rerũ Britãnicarũ ſciolo redargui poſsint, (quod paulò inferiùs manifeſtũ fiet) dum vel vulgares hiſtorias vel Britannorum ipſorum Annales ea in re cõſulere dedignãtur, multo potiùs Cæſar, huius rei de qua nũc agimus, ignarus eſſe potuit, tum ob eius in Britannia moræ breuitatem, tum Brytannicæ imperitiam linguę, atque inſuper ob negotiorum eiꝰ magnitudinẽ, vt ei neque licuerit per id tempus quo hic agebat, aliquos ex Britãnis ſuper ea re conſulere, neque ob eorũ, quos Barbaros reputabat, contemptũ, libuerit tanti æſtimare, vt eos tam familiari alloquio dignaretur, vel quod adhuc veriſimilius eſt, memoriæ non occurrebat, omnia percontari quæ ad gentis Brytannicæ pertinerent originem, dum in Brytannia verſaretur, quæ poſtea ſuis Commentarijs teſtata relinqueret. Verum cùm Commentarios lõgè poſt abitũ ſuum è Britannia cõ-

poſuerit, vt ex Suetonio liquet, ſuam ipſius coniectũrã ſequutus fuiſſe videtur, vbi primos Britanniæ Incolas è Gallia ortũ habuiſſe teſtatur: Quod quia & vero nõ abſimile foret, ſi quis coniecturis tantum agat, & à tantæ authoritatis viro proditum, Diuus Beda libẽter amplexus idem aſſerere nõ dubitauit. Deinde aliquot alij hinc maioris erroris occaſionẽ haurientes, non ſolum è Gallia primos Incolas huc tranſmigraſſe, quod ab hiſtoria Britannica non abhorret, verũ quum Britannos aliquot in Gallia iamdudũ reſidere intelligerent, ex hijs primos terræ Incolas extitiſſe ac nomẽ Britanniç Britãnorúmque tam terrç quã genti indidiſſe aſſeuerarunt. Quod quã vanũ ſit & ridiculũ ſtatim edocebitur. Verũ interim ne quid prçteream quod ab aduerſarijs in re cõtrouerſa obijcitur: Nihil inquit Polydorus tale quod de Bruto iam circumfertur, vel Britannorum Annalibus prodi Gildæ temporibus poterat. Ad quod quidem aſtruendum hçc ex ſuo Gilda ſubijcit: Illa tamen proferre conabor in medium quæ temporibus Romanorũ Imperatorum Britannia & paſſa eſt & alijs intulit Ciuibus mala. Quãtum tamen potero non tam ex ſcriptis Patriæ, ſcriptorumúe monumentis, quæ vel ſi qua fuerint, aut ignibus hoſtium exuſta, aut Ciuium exilió claſſe longiùs deportata, quàm tranſmarina relatione, quæ crebris interrupta intercapedenibus etiam non ſatis claret. Quid obſecro cauſæ eſt (mi Polydore) quod paulò præcedentia non citas ex eodem tuo Gilda, vbi ſcribit: Se conſultò omittere priſcos gentis communes tamẽ cũ cçteris errores, patriæque portẽta, vetuſtoſque Immanium Tirannorũ annos. Nónne hijs palam pro-

fitetur ſe conſultò præterire, quæ ante Romanorum tempora geſta fuerant? Neque id ob eorum ignorantiã fecisſe inde conſtat, quòd priſcos gẽtis errores, patriæque portenta, vetuſtóſque immanium tyrãnorum annos ait ſe cõſultò omittere: Quo pacto errores, portenta, Tyrannos illis exprobraret, niſi talia fuiſſe apud eos aliquo modo reſciuiſſet? Imò ex eorum monumentis ſiue ſcriptis multa hauſiſſe oportuit, ſi ſaltem vera ſcripſerit, vbi ait, hæc (de Brytannia loquens) erecta ceruice & mente ex quo inhabitata eſt, nunc Deo, interdum ciuibus, nonnunquam etiam tranſmarinis Regibus & ſubiectis ingrata cõſurgit. Nónne hinc liquet aut ſe hęc omnia de ſuo effinxiſſe aut vidiſſe hiſtorias aliquas huius Inſulę, iam inde à primo eius incolatu, quum dicat, hæc erecta ceruice & mente ex quo inhabitata eſt? Si talem fuiſſe reuera ſciebat, ex quo inhabitata eſt, Inſulam, id ex ſcriptis aliquot patriæ ſeu veterum monumentis eum didiciſſe oportuit. Non igitur ſcriptorũ inopia, ſed conſultò, quæ ante Romanorum aduentum contigêre, præterijt, ne quid de florentibus facilè crediderim Inſulæ rebus glorioſum pręedicare cogeretur. Si verò neſciebat tales fuiſſe illius terræ mores iam inde à primis incolis, ſe vanum fateatur oportet quiſquis fuerit, qui ea, quorum ignarus prorſus eſſet aſſerêrit: Hæcque omnia de ſuo commẽtum fuiſſe in gentis terręque ignominiam, In altero videlicet ſibi nequaquam conſtans, in altero mendax aſſertor deprehenſus. De quo poſtea pluribus. Hactenus de hijs quæ ab aduerſarijs contra Brytanniæ vulgatam Etymologiam obijci queant ſit dictum. Iam quomodo eorum

de huius vocabuli ratione ſententia conſtet diſpicia-mus.

Polydori opinionis de primis Brytanniæ incolis conuulſio.

ILla enim opinio, quam Polydorus ex diuo Beda colligere videtur, facillimè reijci poteſt: Beda enim ad hũc modum ſcribit: In primis autem hæc Inſula Brytones ſolùm, à quibus nomen accepit, incolas habuit, qui de tractu Armoricano (vt fertur) Brytanniã aduecti, auſtrales ſibi partes illius vendicarunt. Hæc verba D. Bedæ, ſi de traiectu Brytannorũ ex ea parte Galliç, quæ Armorica dicitur, vtpotè aduenarum illac trãſeuntium intelligantur, cũ veteri Brytonũ hiſtoria ſatis conuenire videntur: Nam & hinc Brutum cum ſocijs primùm traieciſſe, & hanc Inſulam petijſſe eadẽ affirmat. Cuiuſmodi interpretatio multò æquior videretur, vtpotè quç authores inuicem conuenire faciat, quàm altera. Verùm ſi quis ea ſic interpretetur, vt Polydorus & item Pomponius Mela primos videlicet huius Inſulç habitatores ex Armoricis ciuitatibus eſſe oriũdos, eoſdémq; (quum Brytanni vocarentur) vt frequẽtiores huius terrç aduenas, nomẽ Brytanniæ huic Inſulæ dediſſe, parũ mihi vera dicere videbitur: Nam ſic Armoricanos longè, priuſquã hæc Inſula Brytãnia diceretur, Brytãnos appellari debuiſſe quis non videt? At id ſecus ſe habere compertiſsimum erit, ſi quis aduertat, quod hæc Inſula Brytãnia & eius incolæ Brytãni, longè ante Iulij Cæſaris tẽpora, quip-

Beda.

Pomp. Mela.

pe

pe mille ſexcētis ab hinc annis appellabantur, quos etiā idem Cęſar ſuis temporibus in Inſula natos memoria proditum eſſe affirmat. Cęterũ Armorica, nè ſexcentis quidem annis à Cęſaris Monarchia, vt eiuſdē Cęſaris commētarijs, Ptolomeo & alijs ſcriptoribus perſpicuè liquet, aut vlla ſanè Gallię pars Brytannię nomen acceperat. Aſt oportebát vt priùs eſſent in Gallijs Brytanni antiqui, quàm in hac Inſula, vt illi hijs nomen dediſſe viderētur, id quod à nullo authore fide digno aſſeritur. Atq; hoc ipſum virum non minus doctum quàm pręclarum Equitē Eliotum etiam obſeruaſſe video in ſua bibliotheca, qua cùm prius & ipſe eſſem opinione, idq; tam literis quàm ſermone, amicis aliquot aperuiſſem, eò impēſiùs meo in ea re iudicio fidebam, poſteaquam idem ab alijs viris eruditis approbari comperi. Eliotus.

Quòd Brytanni continentis, ex huius Inſulæ Brytannis, non econtra hij ab illis originem ſumpſerint.

VErùm nunc locus commodè expoſcit, vt quo primùm tempore, quæ nunc Brytannia minor dicitur, pars Galliæ dicta eſt Brytannia, & à quibus oſtendam. Hinc enim & prædicta opinio de Brytannię nuncupatione à Polydoro inducta, clariùs conuelletur, ſimul & illud demonſtrabitur: minimè videlicet admirandum fuiſſe, nec Brytannorum ignauia commiſſum eſſe putandum, quod à Romanis totum orbem proterentibus primùm militari robore ſpoliati,

à Scotis

à Scotis, deinde & Pictis afflicti, tandem à Saxonibus detriti potius quàm deuicti fuerint. Nã qui primùm in Armorica ſedes poſuêre Brytanni, ab hac Inſula partim Conſtantini cognomento Magni, partim Maximi Tyranni auſpicia ſequuti, eò commigrarunt, ac ibi rerum potiti victricis Inſulæ nomen, deuictæ Regiunculæ impoſuerunt. Quod VVillielmus Malmesburienſis ad hunc modum ſcribens teſtatur. Conſtantius (vt aiunt) vir magnæ ciuilitatis, Conſtantinum ex Helena ſtabularia ſuſceptum, egregiæ ſpei iuuenem reliquit hæredem: Qui ab exercitu, Imperator conſalutatus, expeditione in ſuperiores terras indicta, magnã manum Brytannorum militum abduxit, per quorum induſtriam, triumphis ad vota fluentibus, breuì rerum potitus, emeritos & laboribus functos, in quadam parte Galliæ ad occidentem, ſuper littus Oceani collocauit, vbi hodiéque poſteri eorum manentes (immanè) quantum coalûere moribus, linguáque nonnihil à noſtris Brytonibus degeneres. Et mox ſequitur: Succedentibus annis in eadem Inſula, Maximus, homo Imperio aptus, ſi non contra fidem ad Tyrannidem anhelaſſet, quaſi ab exercitu impulſus purpuram induit: Statímque in Galliam tranſitum parans, ex prouincia ſcilicet Brytãnia, omnem penè militem abraſit. Conſtans etiam quidam non multò poſt ibidem ſpe nominis Imperator electus, quicquid reſiduum erat militaris roboris exhauſit. Sed alter à Theodoſio, alter ab Honorio interfecti, rebus humanis ludibrio fuêre. Copiarum quæ illos ad bella ſequutæ fuerant, pars occiſa, pars poſt fugam ad ſuperiores Brytannos conceſsit.

Ita cum Tyranni nullum in agris præter Semibarbaros, nullum in vrbibus pręter vĕtri deditos reliquiſſent, Britannia omni patrocinio militaris vigoris viduata, omni exercitio artium exinanita, conterminarum gentium inhabitationi diu obnoxia fuit: Scotorum ſcilicet & Pictorum primò, deinde Saxonum in auxiliũ contra hos accitorum. Ad hæc Henricus Huntingdonenſis ad hunc modum in ipſo ferè ſuæ hiſtoriæ limine ait. Britones vero quos Maximus ſecum abduxerat in Gallia Armorica vſque hodie remanſerunt, vnde & Britones Armorici vocantur, à quibus ſpoliata emarcuit Britannia. Et conſtat hunc Henricum cùm hæc ſcriberet, non vidiſſe Gaufredi tranſlationem, vti ſupra demonſtratum eſt. Deinde Giraldus ſupra memoratus in deſcriptione Cambriæ ſic ait. Tertia pars Britonum extātium, quæ Armoricum auſtralis Galliæ ſinum obtinuit, non poſt Britānicum excidium, ſed lōgè ante à Maximo Tyrāno trāſlata eſt, & poſt multos & graues quos Britannica Iuuentus cum ipſo ſuſtinuit bellicos ſudores, vltimis hijs Galliarum finibus, Imperiali munificentia eſt remunerata. Gildæ item libellus de quo ſupra memoraui, qui apud me extat, de ea re in hanc ſententiam habet. Septimus Imperator regnauit in Brytannia dictus Maximianus, (ſic enim ab ipſo nominatur, qui ab alijs Maximus) ipſe perrexit cum omnibus militibus Britonum à Britannia, & occidit Gratianum regem Romanorum & imperium tenuit totius Europæ, & noluit dimittere milites, qui perrexerunt cum eo à Britannia, neque ad vxores ſuas, neque ad filios ſuos, neque ad poſſeſsiones ſuas. Sed dedit illis

Forte Semibarbatos.

H. Huntingdonenſis.

Giraldus Cambrenſis.

Gildas.

multas regiones à ſtagno quod eſt ſuper verticem montis Iouis, vſque ad ciuitatem quæ vocatur Canticguic, & vſque ad cumulum occidentalem. i. Crúcochidient. Hij ſunt Brytones Armorici, & nunquam reuerſi ſunt ad proprium ſolum vſque ad hodiernum diem, propter hoc Brytannia occupata eſt, & ciues eius expulſi ſunt: Hactenus ille. Hinc Geruaſius Monachus Cantuarienſis fidelis & diligens hiſtoricus, qui eo degit Monaſterio, quo maxima tam huius Regni, quàm aliorum librorum copia abũdabat, ad hunc modum ſcriptum reliquit. Maximianus itaque nepos Coeli, auunculus Helenæ, ſed matre & natione Romanus, quem Beda Maximum vocat, regnum obtinuit. Hic minorem Brytanniam, expulſis indigenis impleuit Brytonibus, eámque Conano Meriadoco nepoti Octauij dedit. Quæ omnia cum recepta hiſtoria conueniunt. Deinde Gildas ipſe quem Polydorus euulgatum curauit, quiſquis erat, poſtquam de Maximo mentionem fecerat, & quod idem Brytannorum ope ſecum educta imperium Romanum Gratiano & Valentiniano eripuerat, ſic ſcribit. Exin Brytannia omni armato milite, militaribus copijs, Rectoribus licet immanibus, ingenti iuuentute ſpoliata, quæ comitata veſtigia ſupradicti Tyranni, domum nuſquam vltra redijt, & omnis belli vſque penitus ignara, duabus gentibus tranſmarinis vehementer ſæuis, Scotorum à Circio, Pictorum ab Aquilone, calcabilis, multos ſtupet gemítque per annos. Quod quum huius libelli Author affirmet, Brytanniam ſic militari robore ſpoliatam, mirum eſt quod id poſtea vi-

cio genti Brytannicæ vertere non erubuit, quod ab exteris deuicta poſtmodùm fuerit. Adde quòd Ioannes Anglicus, Aluredus, & Radulphus Ceſtrenſis ſummo conſenſu in hoc conueniunt. Ipſi denique Brytanni Continentis, etiam nunc ingenuè agnoſcunt, ſe ex hac Inſula oriundos eſſe, quod & lingua eorum non multum à Cambrica diſcrepans palàm facit. In Brytannicis quoque antiquitatibus in libello qui Triadum inſcribitur, hoc habetur. Quod tres quidem exercitus ſelectorum hominum ex hac Inſula profecti ſunt, qui nunquam redière, Primus ſub quodam Irpo extero quidem Duce, qui miro aſtu à Brytannis ſubſidium corrogauit: Secundus cùm Helena Conſtantini matre & Conano eius fratre abijt: Tertius, cum Caſsiuellauno & Guenone & Guauaro exijt, & in Aquitania conſedit, vnoquoque exercitu viginti vna millia militum habente. Attamen alius receſsit (vt ibi etiam habetur) exercitus, vtriſque hijs penè ſolus comparandus, videlicet qui cum Maximo Auguſto in Armoricam Brytanniam abijt, & inibi conſedit: Hinc quoque Conanus, quem Maximus ille huic turbæ pręfecerat, tranſmiſit ad Diuotum Cornubiæ principem, vt Vrſulam virginem eius filiam in ſponſam habere poſſet: Quæ vndecem millibus virginum comitata, maritimo itinere intercepta, Coloniæ, vbi etiam nunc earum memoria ſacroſancta habetur, Martyrij palmam ob caſtitatis fideíque excellentiam accipere meruit. Pręterea poſt hæc, quadraginta millia aliarum fœminarum eò tranſmiſſa fuêre, vt connubio Brytannorum, qui ſub

Conano in Armorica Brytannia degebant, iungerentur, quæ nunquam in Inſulam hanc rediêre. De virginibus iam dictis, Eccleſia Brytannica, iam inde ab earum exceſſu memoriam celebrare non deſtitit. Cætera verò ex antiquiſsimis Brytannorum monumentis excepi. Neque hæc tantum Inſulæ huius exinanicionis cauſa fuêre, quin & Romani principes per quadringentos plus minus annos, quibus hæc Prouincia illorum ſubinde ſenſit Tyrannidem, infinitam militũ manum hinc ad eorum vota, ambitioſóſque conatus explendos, ſecum pro libito tranſtulêre, qui partìm bello cæſi, partìm in longinqua delati, nunquam rediêre. Quo factum eſt, vt quamprimùm Romanorum imperium declinare cœpit, adeò vt prouincias ſuas aduerſus barbararum gentium incurſus tueri nequirent, non modo hæc Inſula, ſed & Gallia atque Hiſpania ciuibus ſuis ſtrenuioribus ſpoliatæ & exinanitæ, barbaris gentibus, qui Romanorum tyrannidem minimè antea ſuſtinuerant, predæ fuêre. Nam Brytannia Saxonibus, Gallia Francis, Hiſpania Vandalis & Sueuis, Aphrica item Vandalis & orientis prouinciæ Herulis, Oſtrogothis & Hunnis pariter direptæ ceſſerunt. Germania verò, quæ imperium Romanum nullatenùs, vel non in vniuerſum perpeſſa eſt, vel ſi qua eius pars aliquando ſenſerit, delectum ex ſuis habitum in exteras quidem regiones à Romanis deduci non patiabatur (vt ex Tacito videre licet) ſuum ius omnino retinuit. Quemadmodum & Scoti, Dani, alięque gentes quæ Romanam dominationem euaſerant. Quare non magis hoc Brytannis vitio verti debet, quàm

Gallis

Gallis, Hiſpanis, imò ipſis Italis, qui Longobardos in ſuas ſedes tunc quoque admiſerunt. Vſque adeò Romanorum ambitio & auaritia, quaquauerſum imperij fines prolatauerant, dum tyrannidem ſuam tam grauem mortalibus reliquis tueri ſtuderēt, omne omnium prouinciarum robur contriuerant & exhauſerant. Sed ad inſtitutum redeamus. Ex hijs quæ præmiſimus ſatis conſtat, Brytannos Armoricanos, ex noſtris oriundos eſſe, nec ab illis noſtram Brytanniam nomen ſumpſiſſe, neque (ſi coniecturis tantummodò agatur) veriſimile eſt, vt pars maior, quę in hac Inſula ſemper Brytannorum fuerit, à minore deſcenderit. Quare neq; in D. Beda, ſi ita vt Polydorus interpretatur ſenſerit, refellēdo, nec Polydori opinione pluribus improbāda, diutiùs immorari equidem duxerim, maximè cùm nemo tam ignarus ſit antiquitatis, qui Armoricę Brytannicę incolas ex noſtra hac Brytannia oriundos eſſe non videat: Quod quum ita ſit, neceſſe eſt, vt ratio à Polydoro reddita de Brytannię vocabuli origine, minimè probetur, vtpotè, qui aſſerat ex D. Bedę authoritate aut ſententia perperam intellecta, (quod magis arbitror) Brytannos Armoricanos vt frequentiores aduenas in hanc Inſulam, nomen & genti & Inſulæ Britannicæ dediſſe. Quod ſi D. Beda alijque eius opinionem ſequuti aliquot, in hac Inſula oriundi & perpetuò immorantes, de primo terræ incolatu tam manifeſtè lapſi fuerint, quid mirum ſi & Cæſar & Cornelius Tacitus, exteri quidem homines, quorum huic nunquam viſere ſolum, illi verò nec morum facere, nec linguam indigenarum addiſcere licuit

Tacitus ait Britannos linguam Romanam vel ſuo tempore abnuere.

aut libuit, Britannis rurſum, teſte eodem Tacito, linguam Romanam vel ſuo tempore etiam abnuentibus, id penitus ignorauerint. Quare refutatis abundè (mea quidē ſentētia) hijs quæ ab aduerſarijs contra veterem Britanniæ Etymologiam producuntur, eatenus ſaltem quaten⁹ nemini videatur vero diſsimile, vt à Bruto ſic denominaretur, pauca deinceps, mihi iure dicenda eſſe puto, quibus eam à Bruto nomen deſumpſiſſe, non abſurde affirmatum aſſeuêrem, idque argumentis aliquot veriſimilibus, quatenus tam vetuſta comprobari poſsint, oſtendere pro virili conabor.

Quod à Bruto Britanniam denominari veriſimilius ſit, etiamſi hiſtoria recepta nullo penitus loco haberetur, quàm ex aliqua alia ratione, quæ ab huiuſmodi hiſtoriæ aduerſarijs adducitur.

VIdeo equidem nonnullos viros, ſanè non minus ingenio quàm Doctrina præſtantes, perſuaſiſsimum habuiſſe, eam Brytanniæ Etymologiam à Bruto deductam minus veram eſſe, plurimum in hoc ipſum elaborare, vt aliquam rationem aliam commodiorem aptiorémque huius vocabuli ex literis partim græcis partim Latinis eruant & in publicum proferant. Verùm quia nihil obſtare quo minus

min⁹ vetuſta nominis etymologia vera eſſe poſsit, vt-vt ea de re dubitent, ſuperiùs demonſtratum eſt, multò certè humaniùs item & rectiùs, tum à me tum ab ipſis factum iri puto, ſi eò indagacionis noſtræ ſtudium potiùs inclinemus, quo recepta & tam inueterata nominis etymologia confirmetur, ſi quo modo id fieri poſsit, quàm cõtra, vt indefenſa & omni patrocinio deſerta deſtituatur. Adeò enim temerè, quæ hominum memoria dũtaxat non item literis diu iactata ſunt, reijcienda non cẽſeo. Neq; id quod ſatagunt, dum ex Grȩcis quidem aut Latinis duntaxat, eius vocabuli rationem exquirere laborant, cõmodè (mea quidẽ ſententia) aggredi videntur: Quum potius petẽda ſit cuiuſq; nominis etymologia, ab ea demùm gentis lingua, quȩ id nomẽ cuiq; rei primùm indiderit, & non alia. Et certũ eſt primos huius terrȩ indigenas vel aduenas priùs nomen ei dediſſe, quàm vel Romanis vel Græcis cognita fuiſſet, cúmq; conſtet Brytannos Cambrenſes, qui iam VValli dicuntur, primos huius fuiſſe terræ incolas, & multis annorũ centenarijs ante Romanorũ vel nomen auditũ hic floruiſſe, à quib⁹ potius eſt petẽda huius vocabuli ratio quã ab illis? Prȩſertim cùm eos linguã priſcam ꝑ omnia penè incorruptã & impermixtã iam inde ab initio retinuiſſe ſuperiùs demonſtratũ ſit Et primũ Brytannia nè an Albion priùs dicta ſit, dubitari video. Ego ſanè Brytanniam priùs dictam eſſe quàm Albion facilè crediderim hãc Inſulã, quod hæc primas obtinet, & ſemper obtinuiſſe credenda eſt, ob eius eximiã prȩſtantiam inter eas quæ vocarentur Brytannicæ. Et hoc cõmune vocabulũ vt Brytannicæ appellarẽtur generali

Brytanniæ ne an Albionis antiquius nomen.

vocabulo

vocabulo omnes, à maxima illuſtri & præcipua earum mutuatas eſſe. Id quod confirmare mihi videtur Cæſaris authoritas, qui Commentarijs ſuis hanc Inſulam ſemper Brytanniam, nuſquam verò (quod meminerim) Albionem appellet. Et quum Brytãnia hæc prius dicta ſit, tum cæterę adiacentes hac minores Inſulæ veluti huic appendices, vt ex Plinio, Ptholomeo, & alijs liquet, ab hac velut digniore, Brytannicæ dictæ ſunt omnes. Deinde hæc ad differentiam reliquarum Albiõ ſpeciali vocabulo dici cœpiſſe videtur, ex aliqua ipſius terræ ſimilitudine vel proprietate præ ſe ferente. Atque id maximè, vt credam, hoc etiam inducit, quòd nulla vnquam cæterarum Brytannia dicta ſit ſpeciali vocabulo præter hanc ſolam, quæ poſtquam idem nomen cæteris communicarit, ſpecialiùs aliquod ſibi aſciſcere neceſſe habuit, vt à cæteris internoſceretur. Nec ideò abſurda videri debet vetus traditio, quæ ipſam ab albis littoribus ſic dictam fuiſſe affirmat, nihilo abſurdiore vocabuli etymologia, quàm qua Alpes, quę nunc dicuntur Italiæ montes, ab ἄλφοσ grecè, quod albus ſignificat, eò quod perpetuis niuibus albeſcant appellari, & olim Albia etiam dici, teſte Strabone, proditum eſt. Etſi Albionis vocabulum græcam analogiam, quũ à Romana potius lingua deriuetur, prę ſe ferat. Neque id citra exemplum factum eſſe videtur. Nam trans Libium erat ager (vt Iuſtinus habet) qui Albiona dictus eſt, quod in eo bos alba ſacrificari ſolebat. Qua item nota, hæc à reliquis communi tum nomine appellatis Inſulis potius diſcerneretur, quàm ex ea qualitate ſiue ſpecie, quæ ſe primam intuentium oculis offerebat,

nempè

nempè alba? Britanni quoque ipſi etiamnũ ſua lingua (y wen ynys) .i. albam Inſulã inde appellãt: Fabula verò illa de Albina alijſq; eius Sororib⁹ è Gręcia huc appulſis, mihi quidẽ nõ probatur, nec in hiſtoria Britãnica habetur: Tametſi ſatis credibile ſit, hãc Inſulã ante Bruti aduentum, imò ſtatim à Nauigiorum vſu reperto à Græcis aliquot, quũ ab eis nauigij, vt cæterarũ pene rerum omnium prima adinuentio (vt plerique affirmãt) orta ſit, potius quã ab alijs inhabitatam fuiſſe, idque nõ paruo argumẽto eſſe debet, quod Solin⁹ ſcribit de Britãnia in hũc modũ: Octingẽtis enim & amplius millibus paſſuum porrigitur lõga, ita vt eam in Caledonicũ vſque angulũ metiamur. In quo receſſu, Vliſſem Calidoniæ appulſum, manifeſtat Ara græcis literis inſcripta voto. Hæc ille. At vt Vliſſem ſic & alios ſimili vel errore, vel nouas terras indagandi ſtudio ductos, hanc Inſulam ſtatim à Nauigij vſu reperto adijſſe, nec tam vberem & temperatam, incultam omnino reliquiſſe veriſimile quidem eſt, nec tam Galliæ accolas, tametſi eam in conſpectu habuerint, quũ locorũ amplitudine pro libito, vt credẽdum eſt, tum gauderent, quàm Græcos, inter quos (vt ſæpè iam dictum eſt) nauigij vſus primum vigere cępit, huc primum appuliſſe. Quãobrem ſi conſtaret hanc Inſulam priùs Albionem quã Britanniam dictam fuiſſe, hoc nihil præiudicij receptæ nominis huiuſmodi etymologię adferre, quin ab ἄλφοσ quod græcè album ſonat, vel ab Albi romano vocabulo, Soli albedine id nomen exigente, dici poſsit At hic mirari Subit, vnde Perottus acceperit Albionis vocabulum ab Albione Neptuni filio deductum eſſe, quã-

uis Mela talem ab Hercule in Gallia cęſum eſſe ſcribat? Nec Plini⁹ id quidē mihi aſtruere videtur quod Eliottus de Albionis vocabulo ſcribit, videlicet quod Albion antiquius quā Britāniæ vocabulū ſit: Quin potiùs oppoſitū, videlicet Britānias has dictas fuiſſe Inſulas omnes, priuſquā hæc Albiō diceretur. Plini⁹ enim ad hūc modū ait: Albiō ipſi nomē fuit, quum Britanniæ vocarētur omnes. Nōne ex hijs verbis hūc ſenſum quis potiùs eliciat, quod quū Britanniæ vocarētur omnes inſulæ, quæ in mari Britānico vel circa Britāniā ſitæ eſſent, ad differentiā huius à cæteris, hanc poſtremo Albionē dictam eſſe, quàm vt Albion dicta fuerit, priuſquam Britannicæ dicerentur omnes? At ſi conſtaret Albionis nomen quàm Britāniæ antiquius eſſe, quod mihi quidem non videtur, mihi tamen recepta vtriuſque vocabuli Etymologia magis arridet, vtpote quæ & hiſtoriæ fidem, & inueteratam vtriuſque vocabuli rationem ſtabilit: Britanniam videlicet à Bruto, & Albion ab albis rupibus denominatam fuiſſe. Ad quæ quidem confirmanda, etſi ſatis videri debet hiſtoria ipſa tam diu recepta, præſertim quando nihil obſtare, quo minus ſic dici rite poſsit, ſuperius oſtēſum eſt. Aliqua tamen adminicula, etſi non plena documenta ex his, quæ paſſim de ea re ſcripta comperi, in medium adducam. Primum quidem omnes tam hiſtoriæ, quàm Chronica Britannica, quæ etſi cum Gaufredi tranſlatione non per omnia omnino conueniant, in hoc tamen ſummo conſenſu conſonant, quod à Bruto Britannia dicta ſit, quodq; is ex Troianis originem traxerit. Thalieſsinus item & Merlini Brytānicæ Poëtæ (vt ſupra retulimus) quos

quos ante mille plus minus annos floruiſſe conſtat, ſuis carminibus Brytannos Troianorum reliquias Brutíq; nepotes ſubinde appellant. Quod equidem non tam in gentis gloriam cõmemoro (quæ etenim laus à victa ſedibúſq; ſuis pulſa hominũ colluuie originem traxiſſe) quàm vt fides veteris hiſtoriæ à calumnia vẽdicetur. Et ne quis loca deſideret vbi hæc habeantur. Thalieſsinus quidem in odula quam de ſuis erroribus compoſuit ſic inſcripta Brytánicè (Hãnes Thalieſsin) videlicet errores Thalieſsini, ait, ſe tandẽ diuertiſſe ad reliquias Troiæ, videlicet ad Brytannos, ſub hijs quidẽ verbis (Mi a deythym myma at VVedillhion Troia.) Neq; dubitãdũ eſt hoc fuiſſe opus Thalieſsini: Nã præter innumeros codices vetuſtiſſ. qui inſcriptionem huiuſmodi atteſtẽtur, nullo reclamãte, null⁹ eſt recẽtiorũ qui vel phraſim illius tam antiquã, carminíſue maieſtatẽ hactenus aſſequi potuit. Et ideo ſũmus ille vates inter Brytános cẽſetur & nominatur. Certũ quoq; eſt, & ab hiſtorijs omnib⁹ in cõfeſſo habetur, quod à Troianæ vrbis clade, quo totus penè orbis aut ſubſidij, aut obſidionis gratia confluxerat, homines inde vt apum examina in diuerſas mundi partes dimanauerint, & præcipuè Europã nouis accolis impleuerint. Vnde Giraldus ſępè dictus ad hũc modũ ſcribit. Tres etenim populi, Romani Aenea duce, Franci Antenore, Brytones Bruto, poſt Troianum excidiũ reliquiæ Danaûm atq; immitis Achillis ab Aſia in Europã varias ad partes profugerunt. Et ad confirmandam originis huiuſmodi rationẽ, mox ſubdit, quòd gens Brytannica primęua gentis ſuæ vocabula & originalis linguę, ſcilicet Gręcæ, proprietatem Giraldus.

abundantiùs cæteris retinuerit, qualia etiam nunc inter Brytannos inuenies. Vt Oeneus, Rheſus, Aeneas, Hector, Achilles, Heliodorus, Theodorus, Aiax, Euãder, Vliſſes, Helena, Eliſſa, VVendoloena, & alia multa in hunc modum antiquitatem redolentia, præcipuéque obſeruandum eſſe dicit, quòd pleráque linguæ Brytannicæ verba, Grecæ proximè accedunt, quod in vocabulis numeralibus, quæ vtpotè in ore omnium aſſiduè trita, luxationi minus obnoxia eſſent, obſeruaui: Nam (dec) noſtri, quod Grecè δέκα, & (vnardec) quod illi, ἕνδεκα (deudec) quod illi δώδεκα (vgein) quod illi εἴκοσι, & nonnulla alia huiuſmodi quæ à Græca primùm deriuari viderentur. Deinde idem Giraldus libro ſuo de Cambriæ deſcriptione in hæc verba ait: Brutus etenim mediantibus auo Aſcanio & patre Siluio deſcendens, & Troianorum reliquias qui in Græcia detenti fuerant, in occiduam hanc Inſulam ducens, cùm annis non paucis fœliciter regnaſſet, & tam terræ quàm genti de ſuo nomine nomina dediſſet, in extremo tandem poſitus articulo, tribus filijs ſuis regnum Brytanniæ totale dimiſit, primo & primeuo ſcilicet Locrino, medium illud & meditullium inter Humbrum & Sabrinam, quod & ab eius nomine Loegria vocatur, Iuniori verò Albanacto, totam trans Humbrum Inſulæ partem, quæ & ab eius nomine Albania dicitur: Medio verò, ſcilicet Cambro, totam trans Sabrinam regionem, quæ ſimiliter & ab eius nomine Cambria nomen accepit. Hinc igitur propriè & verè patria Cambria, hinc patriotæ Cambri dicuntur vel Cambrenſes: Eorum autem, qui, Kymraeg, linguam Cam-

Giraldus.

Nota vt conuenit cum Thalieſſino de origine Brytannorum.

Loegria.

Albania.

Cambria.

Cambri vnde dicti.

Cãbricam, à Cam græco, hoc eſt diſtorto græco, propter linguarum affinitatem, quæ ob diutinam in Græcia moram contracta eſt, dictam aſſerunt, probabilis & veriſimilis eſt, minùs tamen vera relatio. VVallia verò non à VVallone Duce, vel VVendoloena Regina, ſicut fabuloſa Gaufredi Arthuri mentitur hiſtoria, quia reuera neutrum eorum apud Cambros inuenies, ſed à Barbarica potiùs nũcupatione nomen iſtud inoleuit: Saxones enim occupato regno Brytannico, quoniam lingua ſua extraneum omne VVallicum vocant, & gentes has ſibi extraneas VVallenſes vocabant: & inde vſque in hodiernum diem barbara nuncupatione & homines VVallenſes, & terra VVallia vocitatur: Hactenus Giraldus. Hæc tam prolixa eò interſerui, quod partium huius regni nomina, qua quidque ratione inditum eſt aperire, ſimul & illud oſtendere libuit, ipſum videlicet Giraldum non adeò æquum fuiſſe Gaufredo, vt ad eius voluiſſet errata, ſicubi manifeſtiora deprehendiſſet, conniuere, eadémque irreprehenſa percurrere, quando tam acriter inuehatur in ipſum Gaufredum ob tantillam rem, puta vocabuli huius (VVelch) originem minus verè redditam, quod citra exemplaris ſui ſententiam ipſum Gaufredum feciſſe ſatis conſtat, qua in re vt vanum non immeritò illum confutat Giraldus. Polydorus in hoc confutandus & ipſe, quòd primus huius etymologiæ author haberi poſtulat, quum hinc Giraldum ante trecentos annos quàm ipſe proderet, eam reddidiſſe conſtet. Porrò cùm ſcribat Giraldus, quia neutrum horum apud Cambros iuuenies, videtur legiſſe Prothotypon Bry- *Polyd. plagij conuictus.*

tannicum quòd Gaufredus tranſtulit, alioquin tam conſtanter aſſeuerare id noluiſſet, quòd tale quid in Cambrorum annalibus reperiri non potuit, quare meritò in hoc taxauit Gaufredum, qui id de ſuo adiecit præter exemplaris ſui ſententiam, & in ea ideo parte, fabuloſam eius hiſtoriam dicit, quum cætera probet penè omnia, nec vſquam alibi in Gaufredi tranſlationem, niſi loco duntaxat memorato inuehatur. Et quum ſe Gildam potiſsimùm imitaturum, idem Giraldus in Prohemio iam dicti libri profiteatur, quoties id congruentis materiæ curſus exigeret, & nihilominus, eadem cum Gaufredo de Brytanniæ ac partium eius nominibus ediſſerens (quemadmodum ex hijs quæ ſupra diximus liquidò claret) per omnia ſentit, in cæteris ferè conueniens, ſi quando ea quæ à Gaufredo prodita ſunt ſuis in libris repetit, veriſimile quidem eſt ipſum, & hiſtoriam Brytannicam perlegiſſe, & lectam atque perſpectam approbaſſe, nec eam Gildæ quem ſe imitaturum profitebatur, contrariam exiſtimaſſe. Præterea quemadmodum argumentatur Euſebius in prȩparatione Euangelica, Græcos literas ſuas mutuatos fuiſſe ab Hæbreis, eò quod literarum vocabula apud Hȩbreos congruum aliquem ſenſum præ ſe ferunt, non itidem apud Græcos: Sic & mihi pari iure ratiocinari hac in re ſuccurrit, quod vocabulorum tam hominum quàm locorum huius regni etymologia, à Brytannis potiſsimùm petenda ſit, quippè apud quos ratio eorum aliqua congrua & conueniens reddi poſsit, non itidem in Latina ſiue quapiam alia. Quare ſi nihil præterea eſſet quod

eò

eò inclinaret, veriſimiliùs quidem eſt, vt quemadmodum cæteris penè gẽtibus & regionibus pleriſque Ducum, & ea loca primò occupantium nomina ad eorum reique geſtæ memoriam perpetuandam indita ſunt, vt apud Solinum & alios videre licet, Iouicam ab Ioue, Saturnium. i. Latium à Saturno, à Iapyge Iapygas, Tyrrhenos à Tyrrheno, à Phalero Phaliſcam, Sicaniam à Sicano, Siciliam à Siculo, & infinita alia huiuſmodi, ne ſingula proſequar, dicta eſſe conſtat. Ita & Brytanniam à Bruto gentis principe denominatam fuiſſe credendum eſt. Et eò credibiliùs quoq; eſt, quòd vel fama tam inueterata, nedum tot receptæ hiſtoriæ, huic rei patrocinatur. Non me latet varias quidem de hoc Bruto etiam antiquitus opiniones fuiſſe vnde videlicet genus duxerit: Vetuſtus quidem libellus de quo ſupra mentionem feci, qui Gildæ nomine inſcriptus, à me in VVallia dudum repertus eſt, duas habet ea de re opiniones, vnam ſcilicet vulgatam, quòd is Brutus Siluij poſthumi qui quartus ab Aenea apud Latinos regnabat, filij Aſcanij filius ſit: Alterum, qua Brutum ipſum Heſsicionis cuiuſdam filium fuiſſe dicebatur, qui quidem Heſsicion Alaunij filius, qui Fethebir, qui Ougomum, qui Thoi, qui Boib, qui Semeon, qui Mair, qui Aurthach, qui Ecthect, qui Oth, qui Abir, qui Ra, qui Ezra, qui Izran, qui Baath, qui Ioan, qui Iabaath, qui Iouã, qui Iapheth, qui Noe filius eſſet, ex vetuſtis Brytonũ libris etiãnum haberi ſcriptor huius libelli aſſerit, quẽ ex tẽporũ in ea relatorũ ſupputatione ante annos 700. inter viuos verſatũ eſſe colligo: Quæ hic inſerẽda ob antiquitatẽ nõ ab re putaui, vt hinc occa
ſio

ſio detur alijs, ſi in antiqua monumēta huiuſmodi inciderint, ea cum his cōferēdi, & quod veriſimiliùs quidem illis videbitur præferendi. Parùm ſanè ad rem referre cenſeo, vtra harum opinionum vera ſit, dummodo à Bruto ſaltèm aliquo Brytanniam appellatam fuiſſe credatur. At hoc quidem plurimùm referre arbitror, ad veteris hiſtoriȩ fidem ſtabiliendam. Nam ſi nec Brytannia à Bruto denominata eſt, porrò nec illius partes ab huius filijs, quibus quaque ſorte contigit, nomina accepêre. Nec quicquam aliud erit in hiſtoria tota recepta, quod pari facilitate reijci nō poſsit. Quare hactenus deſeruiſſe ſufficiat de Brytanniæ vocabulo. Nunc de vocabulis aliquot alijs pauca ediſſeram, vt vnà oſtendam, quàm turpiter aberrent, qui alicuius nominis etymologiam aliundè petunt, quàm ab ea lingua quæ primùm nomina illa quibuſque rebus indidit.

De

De Londino, quod idem ſit quod olim Trinouantum vrbs, quod à Polydoro item denegatur, déque vtriuſque vocabuli etymologia, & quod Auguſta dicta ſit etiam olim.

ET primùm de Londino, quòd à Lud Rege eius inſtauratore nomen accepiſſe videatur: A quo enim potiùs ſic diceretur, quàm ab illo, cuius nomen adhuc vna ex portis ciuitatis expreſsè retinet, videlicet porta Lud? Et ciuitas ipſa à priſcis Brytannis ipſis Caer Lud. i. ciuitas Lud, etiam in hunc diem dicitur, & ſic dictam fuiſſe ante octingentos annos, ſcripta Brytannicè antiquiſsima teſtantur. Nec obſtat quod à Polydoro affertur, vt videatur aliud eſſe à Trinouantum ciuitate, quòd Cæſar nullam eius ſub vocabulo Lundini mentionem fecerit, vtpotè qui Trinouanti duntaxat meminerit. Tacitus verò, Ptolomeus & alij poſteriores Lundinij & item Trinouâtij eo loci quo Lundinum nunc eſt, ſiti, meminere, quin potiùs hoc fidem vulgatę etymologiæ aſtruere videtur. Nam cùm Lud ille fuerit frater Caſsiuellauni, qui tempore Cæſaris imperio Brytannico præerat, & ſi memoriam ſui paulò ante in vrbis nomine celebrari iuſſerat, tam citò in publicum vſum id deuenire nequaquam potuiſſe credendum eſt: præſertim Brytannis etiamnum ægrè fe-

rentibus Trinouanti vocabulum obſoleſcere, vt aboli-
ta veteri appellatione Trinouanti, in nomen Ludtàm
ſubito, hoc eſt Cęſaris iam temporibus, tranſiret, quin
vt fit in huiuſmodi nouis vocabulis paulatim tempore
ſuccedente, quod in Taciti, Ptolomei, & poſteriorum
tempora inciderat, id nominis vires collegiſſe, & au-
ctiùs eſſe, veriſimile quidem eſt, & ideò ab eis Lundi-
num appellari cæptum eſt, vtque Trinouantium non
aliter quàm gentis circumcolæ meminerint, nempè
quæ ſuum nomen ex veteri vrbis vocabulo adhuc reti-
nebat: Nec quod Polydorus ex Tacito colligere videtur
quicquam obſtat, quo minus eadem cēſeatur vrbs fuiſ-
ſe Trinouantum, quod poſtea Lundinum dictum eſt.
Scribit enim Tacitus, quòd Suetonius domita Môna
Inſula, tranſuerſis tramitibus Lundinum, vt ad tutio-
rem locum aduolauerit, quod ipſum non facturū fuiſ-
ſe, ſi id oppidum Trinouantum patria fuiſſet, Polydo-
rus autumat, quippè qui tùm defecerāt: Hæc ratio pri-
ma fronte cuiuis leuiter rē percurrenti, grauis admodū
videri poteſt, ſed penitùs introſpicienti non item. Nam
vt ad Cæſaris vſque tempora Trinouantum firmiſsi-
ma in Trinouantibus ciuitas æſtimata erat, vt ex ipſo
videre eſt, ſic poſteaquàm Mandubratio Cæſaris ope
reſtituta eſt, inter ciuitates Cantiorum, quibus præe-
rat Mandubratius, annumerari cœpit, etſi Regio con-
termina Trinouantum nomen non amiſerit, quam
Eſſexiæ, & Suffolchiæ (vt nunc ſunt) limites com-
Vēta Cimenorū. plecti, ex Ptolomei deſcriptione colligo. Qui poſt
Ventæ Cimenorum (quam Norwicum eſſe autumo)
mentionem factam, ſic inquit: Et magis orientales pe-
nès:

nès Thameſais æſtum Trinouantes ſunt. Hæc Ptolomeus: quod palàm facit, Polydorum plurimùm in hoc errare, vbi ait conſtare, Trinouantes ipſos non habuiſſe ſedes ſuas citra Verulamium municipium, quum Ptolomeus eos penès Thameſis æſtum, & citra Verulamium omnino conſtituat. Deinde Antonini Itinerarium Verolamium viginti duntaxat millibus paſſuum à Lundino ponit. Ad hæc Ptolomeus, poſt Caleuam Attrebatum (quam Oxonium aut aliud circiter eo loci oppidum fuiſſe puto) ab eo memoratam, ad hunc modum ſubijcit: poſt quos maximè Orientales Cancij à Caſsiuellano, Androgio, qui Mandubratius à Cæſare dicitur, conceſſum fuiſſe refert. Quare cùm Ptolomeus Trinouantes ad Thameſais æſtum citráq; Verolamium conſtituat, conſtat eandem fuiſſe eorum ciuitatem primariam tempore Cæſaris, quæ poſtea Lundinum dicta eſt: Cùmque ſtatim à Cæſaris temporibus in Cantiorum ciuitatibus annumerata ſit, vt ex Ptolomeo liquet, nihil obſtabat, quo minùs in Trinouantium defectione Suetonius Lundinum cōfugeret, vtpotè in ciuitatem Cantiorum firmiſsimam, tùm ipſis Rebellibus oppoſitā, nè ſi longiùs inde cōſtitiſſet, defectio lati⁹ graſſaretur. Nec quis admodū mirari debet ſic inuerſa fuiſſe à tot ſęculis vocabula, quùm legatur item apud Marcellinum, rerum geſtarum libro 28. quòd idem Lundinum Auguſta olim dicta ſit, vbi ad hunc modum ſcriptum reliquit. Theodoſius verò dux nominis incliti, animi vigore collecto, ab Auguſta profectus, quam veteres appellauêre Lundinum, cum milite induſtria comparato ſolerti, verſis turbatíſque

Polydorus lapſus in ſitu Trinouantium.

Aliàs Aucroie.

Brytannorum fortunis opem maximam tulit. Hæc ille: Quod nomen videlicet Auguſtæ, quia Romani frequentes eò loci indies confluebant, ſortitam eſſe ciuitatem veriſimile eſt. At vt Northamptona oppidum ſit, quod olim Trinouantum, præterquam quòd neque Regionis latitudo nec longitudo à Pthołomeo poſita id pateretur, quàm abſurda ſit coniectura Polydori qua de nomine quod nuperrimè à Saxonibus inditum eſt, ſic appellatum eſſe colligit, quis non videt? Nam hoc vocabulum Northampton, tantum ex Saxonica lingua, quæ multis centenarijs annorum poſt Cæſaris tempora in hac Inſula vigere cæpit, compoſitum eſt Northampton, ſi latine ad verbum reddideris, Aquilonaris Hamonis vrbs diceretur. North enim Aquilonare, ton, ſemper pro vrbe in huiuſmodi vocabulis ab anglis vſurpatum eſſe quis ignorat? At huiuſmodi lapſus neceſſe eſt hijs euenire, qui vocabulorum rationem aliquam ex lingua alia, quàm ex ea, à qua nomina huiuſmodi originem traxerunt, ducere ſatagunt, qualia ſunt & illa quæ de Ordouicibus, & de Mona Inſula, ac etiam de Cornugalliæ vocabulo, Polydorus ſimili ductus errore coniectat, cùm hæc Inſula Man, illa vera Ciuitas Norwiche, ab Anglis lõgo poſt tempore dici cęperint, de quibus mox plura. Iam poſt varias Recẽtiorũ cõiecturas de hac re labefactatas, quid obſtat, niſi qui ſint qui vulgata omnia faſtidiãt, quo min⁹ recepta de vtroq; vocabulo Etymologia admittatur, Trinouãtũ videlicet à Troia noua, & Lundinũ à Lud rege eius inſtauratore dictũ eſſe? quod quia cũ vulgata & antiqua huius regionis, hiſtoria rectaque

taque ratione conſtare video, præ commentis quibuſq; nouis approbandum cenſeo. Cæterùm quòd Trinouantes per b, à quibuſdam veteribus ſcribitur, id quidem ea occaſione factitatum arbitror, quia b, vt û, conſonantem Græci pronuntiant. Et nonnulli Notarij recentiores, v, & b, adeò conſimiles depingere ſolebant, vt alteram ab altera vix dignoſcere poſsis, vnde Eboracum nunc ſcribitur, quod olim Euoracum vulgò dicebatur, nempè Euerwick ab Anglis non ita pridem, eodem penè modo, quo nunc apud Brytannos, Euoraûg appellabatur, nunc verò tantillo temporevſque adeò immutatum eſt, vt vix vllum antiquæ appellationis remaneat veſtigium, quippè, Yorke, appellatum, tribus videlicet ſyllabis in vnam contractis, vt ferè factum eſt in omnibus Anglicæ linguæ vocabulis, quæ in eum modum monoſyllaba facta ſunt, quum olim productiora forent: vt pro Louerd, nunc Lorde, pro pouer, nunc poore dicatur, & infinita alia huiuſmodi. Hactenus de Lundino & Trinouantio dixiſſe ſufficiat: Nunc ad reliqua.

De vocabulis aliquot Britanniæ locorum priſcis etiam nunc antiquitatem ipſam redolentibus, eorumque Etymologia.

Atque vt ſuperius demonſtratum eſt, nõ tam commodæ ſunt nominum Etymologiæ ex linguarum, quibus ſic appellantur peritia deſumptæ & hiſtoriæ receptæ congruentes, quàm abſurdæ illæ videri ſolent, quæ nulla linguarum huiuſmodi ratione habita, à quibuſdam excogitantur. Vſque adeò à veritate ipſa & Antiquitatis omnis traditione abhorrẽt. Quale eſt illud quod de Ordouicibus Polydorus cenſet, hanc videlicet Ciuitatem ſolam, præter Londinum, antiquum nomen videlicet Ordouicum, in hæc tempora retinuiſſe, quod de Norwico Ciuitate, nunc ad orientis Inſulæ extremũ latus poſita innuit, cùm Ptholomeus Ordouices planè ex Diametro, videlicet ad extremum occidentis Inſulæ Britanniæ conſtituit. Nec ipſa loci longitudinis aut latitudinis vllo modo ratio patiatur eos, vbi Norwicum eſt, conſtitui: Nec dum tempore Ptholomei Saxones, vnde hoc vocabulum Norwich, dubio procul originem traxit, in hanc Inſulam applicuerant, videlicet à (North) & (VVich) quod latine ſonat Aquilonaris vicus, quod Polydorum minimè obſeruaſſe plurimùm admiror. Ordouices etiam non Ciuitatis ſed Gentis nomen erat. Nec omnino

Polydori circa Norwici vocabulum, fœdus error redargutus.

verum

verum eſt, quòd cætera loca omnia, ſua antiqua nomina penitùs amiſêre, vt Polydorus in ſugillationem hiſtoriæ receptæ aſſerit. Quippè Môna Inſula quam Angli nunc Anglesey appellant, etiam nunc antiquum nomen inter Brytannos Cambrenſes retinet, nempè (Môn) dicta: Tametſi Polydorus ob linguæ Brytannicæ ignorantiam, & quia alia non multùm diſtans Inſula (Man) apud Anglos nunc vulgò appellatur, illam videlicet Mônam eãdem quam (Man) nunc Anglicè vulgò appellant, fuiſſe putat, interim neſcius, quòd & hæc quæ (Man) Anglicè dicitur, Monoada olim à Ptolomeo & antiquis, & nunc etiam à Brytannis (Manaw) affini vocabulo vulgò dicitur: Vnde videre eſt, vtramque Inſulam antiquitatis expreſſa veſtigia adhuc retinere apud Brytannos. Sed dùm ipſe Polydorus huiuſmodi nominum rationem ex linguis recentioribus cõminiſcitur, neceſſe eſt vt in huiuſmodi errores facillimè impingat. Sunt & alia nonnulla loca, flumina, & oppida, quę antiqua vocabula in Brytannia etiam nunc retineant, quamuis vt ingenuè fatear, pleráque obſoleuerint, quod tot gentium ſubinde interuentu præcipuè accidiſſe reor, quæ veteribus nominibus obliteratis, noua nomina ex ſuis quæque linguis indidêre, ad perpetuandam Principum memoriam, videlicet poſt Brytannos, primùm Romani, deinde Saxones, tum Dani, denique Normanni. Verùm quę antiquitatẽ adhuc redoleant, ſunt huiuſmodi: Lũdinum quippè quod London: & Eboracum quod nõ ita pridẽ Euerwick: Vẽta, VVincheſter: Triſãtonis hoſtia, Sowthãpton: Cãtiũ, Kẽt: Sabriana, Seuerne: Corinnij,

Corinnij, Cornishemen: Dannonij, Deuōshiremen: Thameſis, Thames: Maridunum, Caermardin: Demetæ, quorum regionem Demetiam Latinè, & Dyuet, Brytãnicè dici conſtat, quæ nunc Auſtralis VVallia dicitur: Tauæ æſtus, Aber Tawy .i. oſtia Tawy: Tobij fluuij oſtia, nunc Towy: Inwerna à Ptolomeo, quæ Hibernia nunc dicitur, Iwerdon brytannicè, propriùs ad Ptolomei traditionem appellari video, quæ vt palàm faciunt non omnia, vt Polydorus cenſet, huius Inſulæ loca, ſua antiqua nomina penitùs amiſiſſe, ita & me in non paruam admirationem adducunt, quòd non & reliqua ſaltem pleráque ad eundem ſe habeant modum. Nam cùm hiſtoria vulgata vrbes & loca nonnulla eadem accepiſſe nomina, ante Romanorum aduentum referat, quæ etiam nunc habent: Miror ſanè, quòd Romani, qui medij interuenere, eorum non meminerint, aut ſi ante Romanorum aduentum, nomina huiuſmodi in deſuetudinem abijſſent, quî factum ſit, quòd nomina huiuſmodi poſt Romanorum imperium in vſum denuò recepta fuerint. Niſi fortè Romani ab ſe indita nomina durante eorum imperio celebrare, & interim nihilominùs Brytanni, ſua inter ſe vocabula retinere ſtuduerint: quæ poſt excuſſum Romani imperij iugum, denuò in publicum vſum reſtituere ſtuduerint, abolitis, quæ Romani locis indiderant, nominibus: Cuius rei argumento non leui eſt, quòd ex Ammiano Marcellino libro viceſimo octauo adnotaui, nempè quandam huius Inſulæ prouinciam quandoque Valentiam appellatam fuiſſe, quæ nunc Scotiam dici aliundè ipſe colligo, videlicet, ex Giraldo

ſæpè

ſæpe dicto, cuius verba ne prorſus vt alia huiuſmodi vetuſta intereant, hîc inſerere non ab re putaui. Ipſe enim in Dialogo, quem de ſudoribus ſuis circa ſedis Meneuenſis archiepiſcopalem dignitatem aſſerendam aſſumptis compoſuit, ad hunc modum ſcriptum reliquit. Ad inſtãtiam itaque Lucij Regis Britonum, miſſi ſunt ab Eleutherio Epiſcopo Romano, qui quaſi quartus decimus fuit à beato Petro, duo nobiles Prædicatores in Britanniam maiorem, Faganus ſcilicet & Dunianus, qui fidem Chriſti per vniuerſam Inſulam à Mari vſque ad Mare plantauerunt. Et iuxta Prouinciarum numerum, quas tempore gentilitatis habuerat Inſula, quinque Metropoles, ſingulas duodecim vrbes, ſicut olim, habuerat, & Suffraganeas Eccleſias totidem ſubiectas habentes, ordine & numero competenti diſtinxerũt. Iuxta Tomum enim Anacleti Epiſcopi Romani, ſicut in Põtificalibus Romanorum geſtis & Imperialibus continetur, directum Galliarum Epiſcopis, iuxta ſtatum Gentilium ante Chriſti aduentum, Britannia habuit prouincias numero quinque, Britãniam primam, Britãniam ſecundam, Flauiam, Maximiam, Valentiam: Prima dicta eſt occidentalis pars Inſulæ, quia primum in illo Britones Bruto & Corineo ducibus applicuerunt, eaque primò à Corineo & ſuis occupata eſt, & inhabitata. Britannia ſecunda, Cancia, quia ſecundò à Bruto & ſuis inhabitata fuerat. Tertia Flauia, hoc eſt flaua, quæ dicitur & Mertia, quaſi mercibus abundans, cuius caput eſt London. Quarta Maximia. i. Eboraca ab Imperatore Maximo dicta. Quinta Valentia, ab Imperatore Valente nuncupata,

Giraldus de Sedis Meneuenſis dignitate.

Albania, ſcilicet, quæ nunc abuſiuè Scotia dicitur. Sicq; ordinatum à viris Sanctis prædictis duobus fuerat, vt in occidentali Inſulæ parte, quæ & nunc adulterino vocabulo VVallia dicitur, propriè verò Cābria à Cambro Bruti filio dicta, Vrbs Legionū Metropolis fuerat, duodecim ſuffraganeos habens. Dorobernia quæ nunc Cantuaria dicitur à (Dûr) Britannico, quod eſt aqua, quoniam aquis abundat, ſic nuncupata, Metropolis ab Auſtrali Thamiſiæ fluuij parte, duodecim ſuffraganeos habens. Lōdonia Metropolis: duodecim ſuffraganeos habens. Eboraca quæ nunc dicitur Eboracum, Metropolis, duodecim ſuffraganeos habens. Et vrbs quæ nunc Sancti Andreæ forſan dicitur, totidem ſufftaganeos habens, olim Alba dicta, vnde & Albania dicta prouincia, vel potius ab Albanacto Bruti filio nuncupata. Cùmq; hoc ordine diſtincta, ducētis annis & pluribus Britannica Eccleſia floruiſſet, ſuperuenit gens Saxonica quæ nūc Anglica dicitur, à Britonibus inuitata, vt eis cōtra Pictos, & Scotos qui boreales Inſulæ partes occupauerant, Britonum ſtipendijs militarent. Tandē verò cùm viribus & numero creuiſſent, iuncto cum hoſtibus fœdere, & ipſi quoq; peiores hoſtes effecti, miris proditionibus Incolas vſq; ad occiduas partes Inſulæ propulerunt, totáq; terrā reſiduā, quam & Angliā poſtea vocauerunt à natali ſuo Saxoniæ ſolo, quod lingua eorū (Engelout) vocabatur. i. Angularis terra, Britanniam occupatam ſic nominantes, necnon & Scotiæ partem nō modicam deſtructis Eccleſijs ritu gentilitatis, qui gentiles erant fœdauerunt: Britonibus nihilominùs Chriſti fidē in occiduis Inſulę finibus incōcuſsè ſeruātibus. Hactenùs Giraldus.

Vrbs Legionum nunc Caerleon dicta.

Aliàs Dorouuernia in D. Beda legitur, quod aqua Paludis Aluea Brytanicè interpretatur.

dus. Hęc igitur nomina Prouinciarũ à Romanis tẽpore Lucij indita, adeo obſoleuerunt, vt pleraq; earum nè apud authores quidem alios vſquã memorata legerim, quod in alijs Romanorũ vocabulis vſu veniſſe potuit. Cęterũ, vt antiquiſsima fuiſſe ea vocabula credã, quæ in Britannica celebrãtur hiſtoria, vel hoc me plurimũ mouet, quòd à Normãnorũ & Saxonũ primo aduẽtu ea vocabula ſẽper vſurpata ſint, nec eorũ aliquod, quorum Etymologia ab hiſtoria redditur vulgata, citra id tẽporis originem accepiſſe, Saxonũ, Danorũ, & Anglorũ aut Normãnorũ res geſtę teſtãtur, cuius quidẽ tẽporis certiſsima creditur haberi hiſtoria. Nã ex Beda conſtat nõnullas vrbes eadẽ ſuo tempore nomina habuiſſe, quę nunc in vſu ſunt, niſi quod quædã propiùs Saxonicã linguã, quæ tunc vigebat, ſapuere. Quare ſi Saxonũ tẽporibus ea nomina minimè indita ſunt, ſanè aut Romanorũ aut Britannorũ temporibus ſic fuiſſe oportet. Sed à Romanis minimè fuiſſe indita cõſtat, & quædã ante Romanorũ aduentũ, nomina huiuſmodi in vſu erãt, id quod ſubinde hiſtoria teſtatur Romana. Quare à Britãnis oportet originẽ ſumpſerint, & ideò ab eis ipſis eorum Etymologia meritò petẽda eſt: quòd verò iam nuper addita fuerint huiuſmodi nominibus Vrbium, Burgh, Cheſter, wech, ton, & conſimilia, id à Saxonibus vel Anglis factum eſſe conſtat, qui vrbes, caſtra, vicos, villas, huiuſmodi vocabulis ſignificare conſueuerunt. Hæc eò dicta ſint, quò non omnia huius Inſulæ vocabula antiqua, prorſus in deſuetudinem abijſſe demonſtretur, quod in ſugillationem hiſtoriæ vulgatæ relatum eſt à Polydoro.

Quare refutatis (vt arbitror) abundè opinionibus eorum, qui Brytanniæ vocabulum à Brytannis Armoricanis traxiſſe putant, vel qui aliter de nominis huiuſmodi origine quàm in recepta habetur hiſtoria, ſenſerint, rerumque Brytannicarum antiquitate ex parte aſſerta, demonſtratáque, tùm congrua & conueniente aliarum regni partium nuncupationis ratione, quid obſtat quò minus Brytanniæ nominis aliorumque vocabulorum, quæ nunc vulgò in vſu ſunt, etymologiæ vulgò receptæ, tantiſper fides adhibeatur, dum alia commodior & conuenientior ab aliquo reddi poſsit. Cùm itaque hactenus Polydori errata recenſuerim, in quæ prolabi potuit, ſiue ex inſcitia linguarum vetuſtarum huius Inſulæ, ſiue ex nimia oſcitantia in rebus huiuſmodi diſcutiendis, potius quàm partis alicuius ſtudio aut aliorum odio. Nunc animus eſt commonſtrare, quæ loca, quaſque ſententias veterum authorum ſic deprauatè & corruptè citauerit & recenſuerit, vt non alio hoc animo feciſſe videatur, quàm vt tùm Brytannorum honorem imminuat, eleuet, & deprimat, ſtudio in hoc quàm maximè adhibito, tùm Romanorum gloriam ipſe quidem Italus genere, & ideo in Romanos propenſior, in cœlum vehat atque extollat; quorum altero vt ipſo venia dignum cenſuerim, ſic in hoc à doctis omnibus iure reprehendendum cenſeo, qui veterum monumenta hiſtoriæque fidem, quæ apud omnes ceu ſacroſancta eſſe & haberi debet, corruperit, & vitiauerit, neque id in verbis ambiguis, aut exigui vel nullius momenti, ſed quæ ad rem de qua agitur, maximè ſpectent atque pertineant. Eo

enim

enim pacto nihil vſquam antiquitatis integrum ad poſteros dimanabit, ſi eorum verba & ſententias ad cuiuſuis libitum licebit inuertere. Sed nunc videamus quibus in rebus id fecerit Polydorus, vt inde coniecturam facere lector poſsit, quàm facilè quámque lubens hiſtoriam Brytannicam, vbi ſilent Latini Authores, aut leui pede pertranſeunt, vellicare & ſugillare ſtudeat.

Quòd Polydorus Virgilius nonnulla de Brytannis à claſsicis authoribus honorificè memorata, ex cõpoſito eleuare & imminuere ſtuduerit, alia verò in eorũ contumeliam inclinantia, & plus æquo intenderit, & ſtudio adhibito, hinc inde conquiſierit.

HAec autẽ quæ ſuperiùs à Polydoro contra hiſtoriç vulgatæ fidem perperam adducta commonſtraui, vel ex rerum Brytannicarum imperitia, vel ex quauis alia occaſione minimè volũtaria, ipſum prodidiſſe, candidè interpretari quis poſsit: Verum illa quæ mox ſubijciam, non alio protuliſſe animo à quoquam videri debet, quàm vt gentis Brytannicæ gloriam & honorem, data quàm maximè poſsit in hoc opere, imminueret. Quod vel hoc vnico argumento

perſpicuũ eſſe poterit. Polydorus enim de quodã Carantaco Brytãno, quem Cornelius Tacitus miris effert laudibus, verba faciẽs, quȩ apud Tacitũ de eodẽ leguntur Carãtaco, ſub hijs verbis recẽſet. Ita Carãtacus homo valẽs apud Ordolucas, loco ad prȩlium ſumpto, vbi ardui mõtes cuncta hoſtibus difficiliora redderẽt, ſuos hortabatur, affirmãs illã diem, illam aciẽ aut recuperandæ libertatis, aut æternȩ initiũ ſeruitutis fore, vocabatq́ue ſpeciatim nomina maiorũ, qui Iulio Cȩſari ſe oppoſuiſſent. Hȩc Polydorus. Cùm Tacitus loco ibidẽ citato, ſic habeat ad verbũ: Qui Dictatorem Cæſarẽ pepuliſſent, quorum virtute vacui à ſecuribus & tributis intemerata coniugum & liberorũ corpora retinerent. Quid eſt quod Polydorus, ſic Authoris etiã Romani, qui quamminimùm tribuiſſe Brytãnis credendus eſt, verba ſic inuertit, vt pro hoc verbo (pepuliſſent) quod habet Tacitus, reponat (ſe oppoſuiſſent?) Plurimùm enim intereſt pepulerint ne Romanos Brytanni, an ſe illis oppoſuerint. Tanta eſt quoquè vtriuſq; verbi diſcrepantia, vt hìc librarij lapſum cauſari nullus poſsit. Qua quidem in re potiſsimùm, vis cõtrouerſiæ totius conſiſtebat. Vtrum Cæſar aliquando à Brytannis pulſus fuerit an non? quod ab hiſtoria Brytãnica affirmatur. Verùm hanc ſententiam Polydorus ſic inuertit vt vides lector. Iam audi quid eiuſdem Authoris ſententiæ alibi addiderit, vbi de Brytannis ſcribens Tacitus in vita Iulij Agricolæ hæc verba habet. Olim Regibus parebant, nunc per Principes factionibus & ſtudijs trahuntur. Polydorus verò in prohœmio libri ſecundi ſuȩ hiſtoriæ, id ad hunc modum refert: Brytãnos olim

Tacitus peperam à Polydoro citatus.

paruiſſe

paruiſſe regibus & poſt vectigales factos per Principes factionum, ita diuerſis ſtudijs tractos eſſe, vt ad propulſandum commune periculum, vix duæ treſúe ciuitates conuenirent: vbi hanc clauſulam adſuit de ſuo præter Taciti ſententiam (videlicet, poſt vectigales factos) quum incertum ſit ex Tacito, à quo tempore ſic cœperint Brytanni factionibus diſtrahi, ſed hoc adiectum ab illo, tum vt vectigales factos Romanis, & ſemper à Cæſaris tẽporibus eòuſque perſeueraſſe, tum cõſequẽtèr ſine Regibus interim fuiſſe oſtẽdat, quo ſemper hiſtoriæ noſtræ fidẽ eleuet, qui Reges habuiſſe continenter, eos partim ex Romanis, partim ex Brytannis oſtendit. Quòd ſi Regibus quidem Brytannis non paruiſſe dicat, intereadùm Romanis dicto audientes non erant. Nam hoc ex ipſo Tacito conſtat. Quibus tãdem alijs paruêre? Nunc aliud quid detractũ à Polydoro ex Taciti loco iam citato audies, vt nullum genus artificij prętermittere videatur in tractãdis Authoribus, quo & gentis Brytãnicæ ſplendorem imminuere, & Romanę efferre poſſet: Hæc enim quæ Tacitus habet eò loci, videlicet: Nec aliud aduers[9] validiſsimas gẽtes pro nobis vtilius, quàm quod in cõmune non cõſulunt: Hęc verba (nec aliud aduerſus validiſsimas gẽtes pro nobis vtiliùs) dedita opera trãſire videtur, ne mica laudis aliqua ſibi vel imprudẽti in Brytãnos elaberetur, aut cõmoditas aliqua ex inteſtina ciuium ſeditione Romanis præbita videretur, Britãnos ſubigendi citra apertas vires. In Cæſare citando idem fecit Polydorus: vbi ait Cæſar, ſe ad primum ipſius digreſſum ex Brytannia numerum obſidum, quem ante imperauerat duplicaſſe, eóſque in

Verba ex Tacito omiſſa.

Cæſaris loca mutilata.

Cæſar libro. 5. Commens-

Conti-

Continentẽ adduci iuſsiſſe. Et paulò poſt ſcribit: Dum in Belgis ageret eò duas omnino ciuitates ex Brytánia obſides miſiſſe. Polydorus autem refert, Cæſarem ad primum receſſum duplo maiori accepto (non tantum imperato) obſidum numero, pacem pro tempore Inſuianis dediſſe, quum manifeſtiſsimum ſit ex ipſo Cæſare eò loci, ſe non expectatis neque acceptis, ſed tantum imperatis obſidibus Gallias repetijſſe, quod ingentem ad reditum ipſius feſtinationem declarat: Vt nè quid maius dicam, etſi fugæ ſimiliùs quam digreſſui videretur, vtì Lucanus habet. Deinde vbi Cæſar ipſe ad ſecundum eius aduentum, poſtquam mores gentis, vt tunc quidem fortè erant, recenſuerat, hæc verba ſubijcit: Equites hoſtium (Brytannorum ſcilicet) Eſſedarijque, acriter prælio cum equitatu noſtro in itinere conflixerunt, ita tamen vt noſtri omnibus partibus ſuperiores fuerint, atque eos in ſiluas colleſque compulerint, ſed compluribus interfectis cupidiùs inſequuti nonnullos ex ſuis amiſerunt: At illi intermiſſo ſpatio, imprudentibus noſtris atque occupatis in municione caſtrorum, ſubitò ex ſiluis ſe eiecerunt, impetuque in eos facto, qui erãt in ſtatione pro caſtris collocati, acriter pugnauerunt, duabuſque miſsis cohortibus à Cæſare, atque hijs primis legionum duarum, cùm hij intermiſſo perexiguo loci ſpatio inter ſe conſtitiſſent, nouo genere pugnæ perterritis noſtris, per medios audaciſsimè proruperunt, ſeque inde incolumes receperunt. Eo die Quintus Laberius Durus Tribunus militum interficitur, illi pluribus ſubmiſsis cohortibus repelluntur, & quæ ſequuntur: Aſt hȩc omnia

nia, vtpotè quæ & Brytannis honeſta erant, & Cæſaris gloriam obſcurare videbantur, omnino ſubticet Polydorus, aut immutatis verbis in alium ſenſum detorquet, ſcribens ad hunc modum. Non multo poſt cùm equitatu Cæſaris appropinquãte in itinere prœliari acriter incipiunt (Brytanni ſcilicet) à quo paululum repulſi, agmine occultè circumacto in caſtra hoſtium impetum faciunt, pugnatum eſt pro vallo acriter, fuítque id certamen anceps, & Romanis laborioſum, in quo multi interfecti ſunt, caſtra tamen defenſa: hæc Polydorus: Vbi attentè aduertere quemlibet velim, qua arte Polydorus, quædam prorſus intacta tranſiliat, quædam in Brytannorum partem inclinantia in aliam detorqueat, & quæ adeò plana & aperta eſſent, vtì id commodè non liceret, ſic obſcura & dubia reddit, vt in quam partem inclinent, lector non intelligat: Nempè perterritos Romanos nouo quidem genere pugnæ nonnullos ex ſuis amiſiſſe, Brytannóſque per Cæſariorum medios, etſi poſt duas à Cæſare illis miſſas ſubſidio cohortes, eaſque ex primis legionum duarum audaciſsimè prorupiſſe. Hæc ex integro omittit Polydorus. Cúmque Cæſar ibidem aiat, quòd Brytanni ſubitò ex ſiluis ſe eijcientes impetu in eos (nempè Cæſarianos) qui erant in ſtatione, facto, acriter pugnauerint. Id ſic inuertit Polydorus, & ait: Pugnatum eſt pro vallo acriter, vt potius Romanos illic acriter pugnaſſe, quàm Brytannos innuere videatur. Cùm Cæſar clarè, à Brytannis eò loci acriter pugnatum aſſerat. Deinde vbi Cæſar luculentiſsimè aiat, ſe eo conflictu nonnullos ex ſuis amiſiſſe, id

indifferenter & perplexè Polydorus effert: Scribens in hæc verba: In quo multi interfecti ſunt, at qua ex parte non profert. Quamuis ex Cæſare ipſo liqueat, ſe nonnullos ex ſuis amiſiſſe: & vbi ait (compluribus interfectis) obſcuriùs quidem illud de ſuis tamē quos amiſiſſe ait, potiùs intelligeretur. At vtcumq; hoc intellectum ſit, ſanè nonnullos ex Cæſaris parte occubuiſſe, manifeſtè ex Cæſare ipſo liquet, quod Polydorus omninò ſubticet, ſatis ſibi fore arbitratus huiuſmodi euentus quos ſibi aduerſos Romani ſenſêre, aliquo ancipiti & generali dicto inuoluere & obſcurare, quale eſt quod ait, fuitque id certamen anceps, & Romanis laborioſum, in quo multi interfecti ſunt, caſtra tamen defenſa. At vbi quid huiuſmodi Brytannis aduerſum incidit, hoc demum quàm fuſiſsimè explicare & producere non omittit, hiſtoricus ſcilicet æquus, ne videatur in Brytannos, quorum hiſtoriam componere præ ſe fert, aliquo modo propenſior. Verùm ab ea ſuſpicione tantum abeſt, quod ingenuè fatendum eſt, vt in ipſos parum æquus videatur, qui de eorum rebus geſtis hiſtoriam concinnet, præſertim vbi res inter eos & Romanos, ex quibus ſe eſſe oſtendit, in controuerſo eſt. Quòd ſi noſtri non ſatis fide digni videntur Authores, qui de ſuis ſcribant, ſanè nec ipſe de ſuis: quod vel hoc loci manifeſtum reddit. Præterea quum Tacitus in vita Iulij Agricolæ, Brytannos ſe inuicem cohortantes in hunc modum referat. Illis (nempè Romanis) auaritiam & luxum cauſas belli eſſe, receſſuros vt D. Iulius receſsiſſet, modo virtute maiorum ſuorum æmularentur. Nonne hæc

palàm

palàm oſtendunt, Cæſarem plus ſibi tribuiſſe quàm ſuo merito debuiſſet, & quàm minimum Brytannis conceſsiſſe? At Polydorus nè id quidem illis concedit, quod ipſe, etſi de ſeipſo verba faciens. Quòd ſi nè aduerſariorum de ſuis etiam rebus agentium, de Brytannis teſtimonia non admittit Polydorus, non eſt quòd ſperemus noſtrorum hominum teſtimonia de noſtris approbatum iri. At inimicis teſtibus nihil eſt locupletius. Cæterùm vt iniquiſsimum eſt primò omnia Brytannorum, Anglorum, & aliorum huius Regni ſcriptorum monumenta pleraque omnia reijcere, deinde ea quæ Romani ipſi de rebus Brytannicis ſed carptim perſtrinxerunt, partim imminuere, partim inuertere, & quæ aduerſarij quidem ipſi ſuis laudibus decidere dignantur, ipſiſque Brytannis tribuere, præſertim ab eo, qui res Brytannicas illuſtrare inſtituiſſet, ita multò quidem æquius fuiſſet exiſtimare, primo Cæſarem ipſum, & huiuſmodi ſcriptores de ſe & ſuis ſcribentes, quamminimum gloriæ ſuis aduerſarijs, etſi non infra, nihil tamen ſupra meritum conceſsiſſe, nec adeò Romanos noſtris ſcriptoribus præferre, omnis vt illis, nulla autem hijs fides adhibeatur: Verùm vtrorumque teſtimonia ſic candidè interpretari, & ſimul conciliare, vt quòad fieri poſſit, in tam diu & tam vniuerſim receptis rebus conuenire viderentur. Et non ita in diuerſas eos diſtrahere partes, vt quammaximè ex diametro diſſentire, imò neutri eorum vera loqui videantur, dùm ſic inuicem pugnare facit vel inuitos. Saltem ſuis Authoribus, nempè Romanis, fidem ſaluam & inte-

gram conſeruaſſet Polydorus, nec minora de ſe ſcripſiſſe, quàm eorum res proſperè geſtæ exigerint, cenſuiſſet. Imò multa ſuppetebant Polydoro vel ex Latinis authoribus ipſis, vnde aliquid ſaltem laude dignum in Brytãnorum gratiam deſumere licuit, quum Tacitus ſuperiùs aiat, nihil aduerſus validiſsimas gentes (nempè Brytannicas) pro Romanis vtilius, quàm quòd in commune non conſulebant. Herodianus etiã de Seuero ſcribens ad hunc modum, de Brytannorum in re bellica virtute, ait: Cæterum prouidus homo ac ſobrius, nonnulla ſuſpicione tenebatur de Brytannicis exercitibus; maximis videlicet & pugnaciſsimis, quibus prẹerat vniuerſis Albinus. Et paulo poſt libro tertio, hæc de Brytannis idem habet: Sunt autem bellicoſiſsima gens, atque auidiſsima cædis. Lucanus verò rationem oſtendit cur tam prodigi vitæ fuerint, vbi de Druydibus quos in Brytannia tum maximè floruiſſe conſtat, verba facit ſic ſcribens:

Vobis authoribus vmbræ,
Non tacitas Erebi ſedes Ditiſque profundi
Pallida regna petunt: Regit idem ſpiritus artus
Orbe alio longæ canitis ſi cognita vitæ,
Mors media eſt: Certè populi quos deſpicit Arctos,
Fœlices errore ſuo, quos ille timorum,
Maximus haud vrget læti metus, inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis, & ignauum eſt redituræ parcere vitæ.

Deinde tanti cenſuerunt Romani ſemper vel pauxillum rei fœliciter geſsiſſe in Brytannia, vt Veſpaſiano ob Inſulã Vectem adiectam imperio, triumphus publicè

publicè à Senatu Romano decretus ſit: Quid quòd Brytannici agnomen, inter maximos honores ſibi ambiebant Imperatores Romanorũ. Prætereà Brenni, Belini, Dunwallonis, & Carantaci, quem Tacitus tantoperè prædicat, nec non Aruiragi, & Conſtantini Magni (quem materna ex parte, eaqúe potiori, nempè à qua Chriſtianam pietatem potiſsimùm hauſit, noſtratem vindicamus) & ſimilium, qui à Romanis ipſis celebrantur, commemoratione, aliquid laude dignum à Brytannis geſtum, à Polydoro referri poterat. At vt nihil tale de his dici meritò poſſet, quod laudis aliquid ipſis tribuere videretur, ſanè quamplurima paſsim occurrebant, quæ dedecus ſubactionis eorũ imminuant, ſi attentiùs conſiderentur. Quòd nimirum à Romanis ſubacti ſunt, etſi id quidem ipſis & gentibus alijs illuſtribus commune fuit, hoc tamen magna ex parte ciuium proditioni & inteſtinis diſsidijs acceptũ referri meritò poterat. Cùm Cæſar Mandubratij Brytanni ope, Caſsibellaunum ſe deuiciſſe fateatur, & Tacitus nihil æquè aduerſus validiſsimas gentes Romanis profuiſſe, quàm quòd Brytanni in commune non conſulebant. Deinde quòd à Saxonibus tandem deuicti ſunt, id quidem tot delectibus ex Brytannia habitis tribuendum eſt. Nam & VVillielmus Malmesburienſis id teſtatur loco ſuperiùs citato, vbi ait à Conſtantino Magno, primùm magnam Brytãnorum militum manum hinc abductam eſſe, deinde Maximum qui Gratianum Imperatorẽ deuicit, ex Brytannia omnem penè militẽ abraſiſſe. Deniq; Conſtantem quendam ſpe nominis Imperatorem allectum, quicquid re-

ſiduum erat militaris roboris è Brytannia exhauſiſſe. Cui Henricus Huntingdonenſis, Giraldus Cābrenſis, Radulphus Ceſtrenſis, & reliqui ſcriptores vetuſti aſtipulantur. Imò Gildas ille Polydori, quiſquis erat, id vel inuitus agnoſcit, atq; idcirco Brytanniam omni armato milite, militaribus copijs, Rectoribus, licet (inquit) immanibus, ingenti Iuuentute ſpoliatā, Gentium conterminarū Tyrannidi obnoxiam factam eſſe ſcribit. Hæc ſaltem, gentem Brytannicam omnis ignauiæ probro eximere debuiſſent, quòd tandem poſt mille annorum curricula, quibus rerū potiebantur, loco cedere coacti ſunt. Atq; id vltione quidem diuina, qui ob hominum ſcelera, regna & imperia de alia in aliā gentē transferre ſolet, magis quā populi ignauia aut vecordia, ſcriptores vetuſti omnes prædicant. Imò magis reprehendēdos fuiſſe Brytānos noſtros cēſuere, quòd poſt tot Gentis clades, & aduerſa bella ipſis illata, tāta peruicacia rebellare non ceſſarent, quòad internicionē gentis omnis incurrere nō ſunt veriti, potiùs quā ſeruitutis ſpeciem aliquam ſubire ſub alienæ gentis Duce. Quò factum eſt, vt nunquam ab excidio Brytannorū libenter Anglorum Imperio paruerint, quòad Principem è ſua gente ſortiti ſunt, nempè Henricū ſeptimū, qui ex eorum regali Principū progenie haud dubiè prognatus eſt. Atq; inde non tam metu quā amore, libēter cōmuni vtriuſq; gentis Principi parere cœperūt. Quæ quidē peruicacia non tam ignauiā eorum arguit, quàm fortitudinem & animum erectum, ac ſeruitutis omnis impacientē, neq; humanæ imprudentiæ potiùs quàm diuinæ vltioni id acceptum referre conuenit,

quòd

quòd tandē ſubacti ſunt. Hoc enim ſcriptores omnes antiqui in cauſa fuiſſe cenſent, quòd acciſæ ſunt Brytannorum vires, neq; ego id etiam inficior. Conſtat enim ex veterum ſcriptis, & Principum inſolentiam, & populi mores corruptiſsimos, inſignem dei vindictam tunc meritò exegiſſe. Nec Romani Authores ipſi, qui de rebus hic geſtis quicquam ſcripſêre, vſquā id gentis ignauiæ adſcribunt. Quare neq; ex illis quidem aduerſarijs Brytannorum, quiſquam ſatis acerbè inuectos eſſe in Brytannos videtur noſtro Polydoro. Verùm ſolus ipſi arridet quidam obſcurus & planè incertus ſcriptor, neſcio quis Gildæ Brytanni nomen ementitus, à Polydoro nuper typis excuſus, qui de Cæſaris aduentu verbis ad rem amplificandam affectatè conquiſitis, declamantis in morem, & quandam in Brytannos inuectiuam adornantis, ſub hijs verbis loquitur. Sed transfretans (ſcilicet Iulius) Inſulæ parendi Leges nullo obſiſtente, aduexit, imbellemq; populum ſed infidelem, non tam ferro, igni, machinis, vt alias gentes, quàm ſolis minis vel Indiciorum concuſſionibus, in ſuperficie tantùm vultus, preſſo in altum cordis dolore, ſui obedientiam proferentem edictis ſubiugauit. Sed hæc vel Cæſare ipſo teſte quàm falſæ ſunt, facilè quiuis perſpiciet. Etſi miro artificio Cæſar & ſuorum incommoda excuſet, & Brytannorum oportunitates efferat, tamen quiddam, dum in Britannia ageret, fugæ ſimile fateri cogitur, atque ſi quid laborioſum ei fuerit, cùm aduerſariorum commoditates, tum ſuorum incommoda miris artibus exaggerat. Cuiuſmodi eſt hoc quod ſuis Commenta-

rijs

rijs habet. Militibus autem (ſubinnuit ſuis) ignotis locis impeditis manibus, magno & graui onere armorum preſsis, ſimul & de nauibus deſiliendum, & in fluctibus conſiſtendum, & cum hoſtibus erat pugnãdum, quùm illi (ſubinnuit Brytannos) aut ex arido, aut paululum in aquam progreſsi, omnibus membris expediti, notiſsimis locis, audacter tela conijcerent, & equos inſuefactos incitarent. Quibus rebus noſtri perterriti, atq; huius omnino generis pugnæ imperiti, non omnes eadem alacritate ac ſtudio, quo in pedeſtribus vti prelijs conſueuerant, vtebantur Et ad eundem modum fugam ſuorum paulò poſt ſic excuſare videtur. Tum diſperſos, depoſitis armis in metendo occupatos ſubito adorti (videlicet Brytanni) paucis interfectis, reliquos incertis ordinibus perturbauerant, ſimul equitatu atq; eſſedis circumdederant. Et poſt pauca de huiuſmodi genere pugnæ ex Eſſedis memorata, quo Brytannos inſigni mobilitate & audacia tum vſos fuiſse prædicat, hæc ſubiungit. Quibus rebus, perturbatis noſtris nouitate pugnæ, tempore oportuniſsimo, Cæſar auxilium tulit. Namq; eius aduentu hoſtes conſtiterunt, noſtri ex timore ſe receperunt, quo facto, & ad laceſſendum hoſtem, & cõmittendum prælium, alienum eſſe tempus arbitratus, ſuo ſe loco continuit, & breui tempore in caſtra Legiones reduxit. Hæc ille. Nonne hijs omnibus ſimile quiddam fugæ adumbratur? At id palàm fateri veretur vir non minus dedecoris fugiens quàm gloriæ auidus. Cæterũ quòd ipſe ſuos perterreri, perturbari, ceciniſſe receptui, idq; ex timore, & ad committendum prælium

alienum

alienum eſſe tempus ſe arbitratum ſcribit, ab alijs forſan veritatis ſtudioſis, fugiſſe aut terga dediſſe, diſertis verbis dictum fuiſſet, quod à Lucano ingenuè factum eſt vbi ait:

Territa quęſitis oſtendit terga Brytannis.

Adde hijs, quæ ex Cornelio Tacito ſuperius memorantur, ſub perſona Carantaci exhortantis ſuos acriter vt dimicarent, ad inſtar maiorum ſuorũ, qui, vt aiebat, Dictatorem Cæſarem pepuliſſent, quorum virtute vacui à ſecuribus & tributis, intemerata Coniugum & Liberorum corpora retinerent: Et paulò poſt, receſſuros (videlicet Romanos) vt D. Iulius receſsiſſet, modo virtutes maiorum ſuorum æmularentur. Quid expreſsius dici potuit ad exprimendam Cæſaris fugam, quàm quòd ipſum à Brytannis pulſum, receſsiſſe dicat, idq; citra graue aliquod iugum ipſis impoſitum, quũ adijciat hæc: Quorum (videlicet maiorum) virtute, vacui à ſecuribus & tributis, intemerata Coniugum & liberorũ corpora retinerent. Ex hijs liquido apparet, ſi Cæſar omnia hic ex voto aſſecutus receſsiſſet, nõ dixiſſet Carantacus, Romanos qui ipſius tempore hic agebant receſſuros, vt D. Iulius receſsiſſet. Alioqui cum maxima hinc gloria receſsiſſent. Aut ſi Cæſar graue aliquod iugum Brytannis impoſuiſſet, non dixiſſet Carantacus, maiorũ ſuorũ virtute Britannos à ſecuribus & tributis Romanorum, intemerata, coniugũ & liberorũ corpora retinere. At hæc, inquiet forſan alius, in perſona Carantaci hominis Brytanni dicta ſunt, Tacito referente. Verum: ſed qua tandem ratione incitaret ſuos ad maiorum virtutem

imitandam, falſa ne an ingloriè per eos geſta prædicando? Nihil ſane minus. Nec Tacitus illi Carantaco alium ſermonem tribuiſſe credendus eſt, niſi qui ab eodem iure & merito optimo dici potuerit. Præterea, nonne idem Tacitus, tantum littore potitum Cæſarem, Inſulam poſteris oſtendiſſe potiùs quàm tradidiſſe alibi ſcribit? Præterea Baptiſta Egnatius de Cæſare hæc verba habet. Primus hic perpetuam Dictaturam inuaſit, debellata omni intra decennium Gallia, tentata tunc primùm Brytannia, & Germanis in ſiluas & paludes ſuas compulſis. Denique hæc omnia ita reuera ſe habuiſſe, vt Lucanus & Tacitus aſſerunt, vel ex ipſius Cæſaris commentarijs ſagax lector facilè odorari poteſt, ſi celeritatem ipſius in apparando reditu modumqúe obſeruet, & qualiter non expectatis obſidibus, quos ei (vt ait) polliciti fuerant Brytanni, paulò poſt mediam noctem naues ſoluerit, Galliam remeaturus, & quemadmodum duplicatis viribus, & numero nauium adaucto, Brytanniam ſecundò redierit, quod minimè neceſſarium fuiſſet, nempe viribus duplo auctioribus, ſi tàm leui negotio ad primum eius aduentum (vt Polydorus vult) ipſos ſubegiſſet. Quæ omnia, ſi quis attentiùs conſideret & excutiat, is hiſtoriam receptam & à Gaufredo latinè proditam, minimè à vero aberrare hac in re facile perſpiciet, aut hoc ſaltem, vtcùmq; iniquus rerum æſtimator fuerit, hanc Inſulam non tam leui negotio à Cæſare ſubactam fuiſſe, exploratum habebit, quàm à Polydoro vel ipſius Gilda aſſeritur, vt ſolo vultus terrore & nutu, quod minus eſt, iugum ſeruitutis

uitutis Cæſar huic Inſulæ impoſuerit. Quod, Cæſar ipſe etſi Romanus & omnium quotquot vnquam poſt homines natos extitêre gloriæ auidiſsimus, de ſeipſo ſcribens, non audet aſſerere, imò contra, multo negotio, ingenti diſcrimine, nec citra ſanguinem, ſe Inſulam vtcumque vectigalem, reddidiſſe ſcribat. Quandoquidem Q. Laberium tribunum militum (qui idem eſt vt ante memoraui qui corruptè Labienus in vulgata legitur hiſtoria: Nam vt Romana vocabula potiùs ad Romanorum Commentaria, ſic contra Brytannorum ad Brytannica corrigenda eſſe duco) ac nonnullos prætereà milites, à Brytannis acriter prælio cum equitatu ipſius in itinere conflictantibus, ſe amiſiſſe ſcribat, cauſatus obiter ſuos minus aptos eſſe ad illius generis hoſtem, de Eſſedarijs id ſentiens: Cæterum quòd ille vtpote Orator diſertiſſimus de ſuis detrimentis atque incommodis, verborum inuolucris quàm parciſsimè ſcribit, id ab alijs explicatiùs dictum eſt. Neque arbitror quenquam eo iudicij errore teneri, vt credat Cæſarem minora de ſe prædicaſſe, quàm ipſius res geſtę expoſcunt. Quamobrem ſatis admirari nequeo, quòd quiſquam inueniri potuerit tam in Brytannos maleuolus, vt plus Cæſari tribuat quàm ipſemet ſibi, aut Polydorus in conferendis authoribus tam oſcitabundus, aut ſtudio aliquorum, vel aliorum odio incitatus, tam iniquus arbiter repertus ſit, vt eum quoque potiùs ſibi propoſuerit imitandum, Gildam illum dico, quem ex orationis phraſe probè ſciat non hiſtoriam ſed potiùs declamationem quandam de excidio Britan-

norum, qua eorum ſcelera & mala omnia vndique coaggerat, affectata eloquentia cōpoſuiſſe, quàm alios probos authores, rerum geſtarum hiſtoriam ſeriò ſcribentes, aut Cæſarem ipſum de ſe prædicantem, etſi Lucanū, Tacitumq; nullo loco haberi vellet. Cùm itaq; Polydorus, ea quæ probro & contumeliæ Brytannis eſſe, aut ſic interpretari quiſquis poſſet, tam anxiè conquirat, illa verò quæ in eorum laudem honorémue à quoquam memorata ſint, ſic imminuat, deprimat, imò verbis authorum inuerſis adulteret, vt illa magis contumelioſè, quàm reuera à primis authoribus memorentur, hæc minus laudabiliter dicta videantur. Nonne ſe plurimum Brytannis ſuſpectum præbet, qui de rebus Brytannicis hiſtoriam concinnet? Cùmque in antiquos aliquot ſcriptores, qui plurimis annorum centenarijs ante ipſum ſcripſère, & aliter de rebus Brytannicis quam ipſe ſenſère, tam acriter inuehatur, vti in Henricum Huntingdonenſem, Radulphum Ceſtrenſem, & alios fide dignos ſcriptores, ipſum feciſſe conſtat, meritò poſterioribus, ſi quid ſecus de hijs rebus ac ipſe ſenſerint, ſe formidandum exhibet, ac nonnullam de ſe præbet alijs malè ſuſpicandi occaſionem, ſe hæc omnia vt faciat ideò animum inducere, quia nunc iacent priſci illi Brytanni, vt nec ei gratificari neque officere vllo modo poſsint: Aut quia literarū ſtudia inter eos adeò refrixiſſe putat, vt quantumcūq; veritati antiquitatum ſuarum detrahat, nemo inter eos reperiatur, qui id refellere ſciat vel audeat, tanti viri & eloquentiæ viribus tā inſtructi, odio ſe obijcere. Verùm quęcūq; demū ea

fuerit

fuerit cauſa, nullam ſanè idoneam reperire potuit, ob quam in vniuerſam gentem inueheretur, aũt tam anxiè ex omnibus qui de Brytannicis rebus ſcripſère, eos duntaxat congereret, probaretque qui infamię aliquid, ſiue genti vniuerſæ, ſiue priuatim aliquibus ex eadem, impingere ſtuduerit. Quandoquidem nulla omnino gens ſit, tam in vniuerſum bene inſtituta, quà non permixtim boni ac mali inhabitent. Eo enim pacto nulla erit vſquam tam laudata gens, quæ non ſi quis eius tum priuatim tum publicè errata ſiue vitia duntaxat conquirat, virtutes verò & laudes vel omnino tranſiliat, vel ſaltem imminuat, infamiæ notã ſubire cogatur. Si quis turpem fugam Romanorũ ad Alliam, Cannẽſem cladẽ, & ſimilia in aceruum cõgerat, nonné pulchrum ſcilicet encomium in illos cõponeret? Quid quòd memoratus Tacitus ait, prouinciarum ſanguine, Prouincias à Romanis acquiſitas, potius quàm propria virtute. Verùm non tam parcus eſt Polydorus, in laude Brytannis debita præſtanda, quàm effuſus eſt in Romanorum, nempè ſuorum victorijs celebrandis. Nam id potiſsimùm ſatagere videtur toto ſuo opere, vt Romanorum tempora, quibus hìc per aliquot annos ſubinde, non tamen perpetuò, dominati ſunt, illuſtret, cætera verò coronidis vice adieciſſe videtur. Aſt vt ſua laudare nulli non eſt liberum, ita ſanè aliena vituperare, abſque probabili ſaltem cauſa, ingenuum non decet: vt interim non dicam quàm abſurdum ſit ac inhoneſtum, temerè à communi veterum hiſtoricorum conſenſu, præſertim abſque vrgenti, nedùm probabili cauſa diſſentire: neque id tantum, ſed acriter in vetu-

ſtos authores inuehi, qui quicquam aliter quàm ipſe, ſcripſêre,ſenſereúe,quaſi nemini ſit liberum aliter ſentire,quàm ipſe ſenſerit, vel opinione quauis duci, quã ipſe non approbet. Verùm vt liberè dicam quod ſentio, hiſtorijs illorum quantumuis impolitis, multò tutius fidendum eſſe duco,quàm huius quãtumuis nitidæ & elaboratæ. Illi enim rerum complurium oculati teſtes fuêre,alijs autem rebus propinquiores fuêre,trecentis vt minimum annis,quàm Polydorus,Regũque diplomata, necnon contractuum,rerumque geſtarum monumenta ipſa,ita vt reuera geſta ſunt,viderunt,& ſuis hiſtorijs ad verbũ interſerũerunt: At interim exclamat Polydorus,nihil occultiùs,nihil incertiùs,nihilq; ignorãtiùs rebus Brytannorũ eſſe. Verùm ipſe interim,author huiuſmodi tenebrarũ primus eſt,dum dedignatur authorum huiuſmodi veſtigia inſequi, aut quod in latinis authoribus obſcuriùs quidem habetur, aut implicatiùs, benignè interpretari, vt cum hiſtoricis Brytannicis conuenire poſsint: Quod quia non dignatur,in huiuſmodi tenebras neceſſariò ſe conijcere videtur. At ſi eos conciliare ſtudeat, facilè videbit, quàm clara & aperta ſint omnia, & quàm pulchrè vtriſque inter ſe conueniat. Sed mauult omnia incerta dubiaque reddere, quàm tritam ante ſe viam ingredi, aut priorum hiſtoricorum veſtigijs inhærere, ne quid non nouum in ſua hiſtoria reperiatur. Ille tamen ſuam (ſi dijs placet) vt antiquiorem, eorum verò, qui ipſumquadringentis annis præceſſêre, hiſtoriam nouam,& quaſi iam recens æditam, cenſeri vult. Scribit enim in hunc modum: Vitas Regum

quos

quos iſta noua hiſtoria repentè & vno quaſi partu genuit, in orbemque effudit, non ſine ſtomacho, vt ſcribit, Reges illos ſe recenſere ait, quos tam leui pede pertranſit, quaſi omne tempus ſibi perire arbitretur, quoad ſuæ gentis res geſtas perueniat illuſtrandas, ampliandáſque. Quo fronte (mi Polydore) tanto vetuſtiorem tua, nouam appellare audes illam hiſtoriam, ſi inde ei fidem negare ſtudes, eo nomine, quod non ſit antiqua, eadem opera & tuæ multo magis derogas, nempè, quæ quadringentis annis, vt minimum, illam ſubſequuta eſt? Verum audio, id forſan dicis, quia ex Romanis authoribus non hauritur, vt tu quidem ais. Tuam verò hiſtoriam ideo cenſeri antiquam vis, quia ex antiquis decerpta eſt: quatenus id facis admittimus. Hoc & Brytanni Authores ſimiliter aſſerunt, ſe ex antiquis ſuam concinnaſſe hiſtoriam. Et tu ſolos Romanos vis cenſeri antiquos? Quid igitur ante Romanorum aduentum, in quod tempus hæc illis incognita erat Inſula, de Brytannia eiuſque incolis cenſendum eſt? Nihil nè quicquam hîc geſtum eſſe credendum eſt? Omnia nè vt Chaos aliquod exiſtimanda ſunt, quæ vſquam contigêre, priuſquam ad Romanorum notitiam non peruenerunt? Si id verum eſt, ô ter, quaterque fœlicem Brytanniam, quod Romanorum iugum aliquando ſenſerit, alioquin perpetuis in tenebris ſepulta fuiſſet. Ad hæc, vbi vociferaris hanc nouam hiſtoriam nouo partu tot Reges ædidiſſe, quis non multò magis id exclamaſſet, tùm quum noua hæc, quam appellas hiſtoria primùm æderetur, ſi tot Reges ante inau-

ditos

ditos quos recenſet, repentè & vno quaſi partu, vt tu ais, ædidiſſet, tunc enim temporis non immeritò quiuis admirari potuiſſet, vnde tot Reges tam ſubitò exorirentur antea inauditi, ſi id tùm primùm auditum fuiſſet: Tibi verò qui poſt quadringentos annos, ab hiſtoriæ ſæpè dictæ æditione ortus es, nihil noui eſſe debet, quod tam in ea & in compluribus alijs præcedentibus hiſtorijs, quàm ſubſequentibus diuulgatum eſt, vnde in tantam admirationem incidas. Sed vt illi nihil noui audientes, niſi quod in ore omnium iactabatur, nulla admiratione afficiebantur, tu contra qui eadem per tot annos, atque ex tam multis fide dignis authoribus, non tantum literis prodita, ſed & vulgò iactata accepiſti, nulla ex cauſa in tantam prorumpis admirationem, vt omnes quotquot vnquam hîc floruêre Reges ante Cæſaris aduentum, ab hac noua, etſi vt minimùm quadringentaria, repentè & vno quaſi partu genitos affirmes, præter vnicum Brennum, quem nobis ex omnibus qui Cæſarem præceſſêre ſolum relinquis, quod etiam Tito Liuio debemus, Romæque excidio ab eo patrato, alioquin cum cæteris municipibus ſuis, ex Polydori ſententia, perpetuis tenebris delituiſſet: Adeò nihil admittitur à Polydoro, niſi quod Romanorum monumentis conſecratum eſt atque relatum, verùm neque ipſe Brennus vſquequaq; à calumnia immunis euaſit, nam & ipſi maxima pars gloriæ quæ ei debetur, adempta eſt à Polydoro, quod nunc oportunum eſt demonſtrare.

De

De Brenno, quòd idem fuerit Brytannus, & qui Romam cœperit, & qui Gallos in Græciam & Macedoniam deduxerit.

POlydorus enim, de Belino & Brẽno fratribus germanis, ſcribens, etſi cogitur fateri, Brennum natione Brytannum Alpes tranſiſſe, Romamque cœpiſſe, de quo Liuius abundè tractat libro quinto ab vrbe condita, admonitum tamen vult lectorem non eundem eſſe Brennum, qui Gallorũ alteram manum primum in Græciam, deinde in Macedoniam duxerat. Cùm ille & Gallus fuerit, & poſt 110. annos quã Roma capta eſt, à priore Brenno (vt dicit) floruerit. At ego, niſi quis Romam à Gallis bis captam oſtenderit, ſub duce etiam Brenno, quod niſi ſemel factum me legiſſe nuſquam memini, manifeſtum reddam, ex Titi Liuij & Iuſtini collatione, eundem fuiſſe Brennum, & qui Romam cœperit, & Dux fuerit Gallorum in Græciam & Macedoniam, quamuis Liuius teſtetur ipſum Brennum, qui Romam cœpit, cum ſuis ad internitionem vſque iuxta Romam occubuiſſe via Gabinia; adeò vt ne nuncius quidem cladis ſupereſſet, qua quidem in re, Iuſtinus cum Liuio nequaquam conuenire videtur, quemadmodum neque cum Polybio. Iuſtinus enim ad hunc modum libro viceſimo Iuſtinus lib. 24.

quarto ſcribit, ex Trogi Pompeij hiſtorici grauiſsimi authoritate. Namque Galli (ſic enim tranſalpinos omnes tùm appellabant) abundante multitudine, quum eos non caperent terræ quæ genuerant, trecenta milia hominum ad ſedes nouas quærendas, velut peregrinatum miſerunt. Ex hijs, portio in Italia conſedit, quæ & vrbem Romanam captam incendit, & portio Illiricos ſinus, ducibus auibus, per ſtrages barbarorum penetrauit, & in Pannonia conſedit, gens aſpera, audax, bellicoſa, quæ prima poſt Herculem, cui ea res virtutis admiratione & immortalitatis fidem dedit, Alpium inuicta iuga & frigore intractabilia loca tranſcendit, ibi domitis Pannonijs, per multos annos cum finitimis varia bella geſſerunt. Hortante deinde ſucceſſu, diuiſis agminibus, alij Greciam, alij Macedoniam, omnia ferro proterentes petiuêre, tantuſque terror Gallici nominis erat, vt etiam Reges non laceſsiti, vltro pacem ingenti pecunia mercarentur. Hactenus ille: Et mox adijcit: Quemadmodum ea pars Gallorum, quæ duce Belgio Macedoniam inuaſerat, Ptolomeū regem Macedoniæ, pacem ab eis redimere abnuente, bello vicerit, caputque ipſius amputatum lancea fixum, tota acie circumtulerit: Vbi hæc obiter adnotandum duxi, quod pro Belgio, Belio, legendum deberi cenſeo. Nam à Belino, apice expuncto, facilis erat lapſus, vt Belgio primùm pronuntiaretur: nempè i, ſono g, vt à poſterioribus temporibus ſolebat, & deinde ſcriberetur g, pro i, dum i, conſonantem vt g, corruptè pronuntiant. Nam ex Brytannorum hiſtoria liquet, Belinum vnà cum Brenno fratre ſuo, poſt ſopitam inter

eos diſcordiam, poſt Gallias ſubactas, Alpes tranſiſſe, vrbemque Romam cœpiſſe, plurimaſque regiones alias deuiciſſe, atque hijs patratis, Belinum in patrias ſedes, relicto poſt ſe fratre, remigraſſe. Cætera, vtpotè extra hanc Inſulam ab eis geſta, Author hiſtoriæ Brytannicæ ad Romanam refert hiſtoriam. Deinde idem Iuſtinus ait. Intereà Brennus, quo duce portio Gallorum in Græciam ſe effuderat, audita victoria ſuorum, qui Belgio duce Macedones vicerant, indignatus, parta victoria, opimam prædam, & orientis ſpolijs onuſtam, tam facilè relictam eſſe, adunatis centum quinquaginta millibus peditũ, & quindecim millibus equitum, in Macedoniam irrumpit, quum agros villaſq; popularentur: Occurrit ei cum inſtructo exercitu Macedonum Soſthenes. Sed pauci à pluribus, trepidi à valentibus facilè vincuntur. Itaque cùm victi ſe Macedones intra muros vrbium condidiſſent, victor Brennus, nemine prohibente, totius Macedoniæ agros deprędatur. Deinde ſequitur: Quemadmodum Brennus tẽplum Apollinis Delphis poſitum, regijs muneribus opulentum, natura munitum, auri cupiditate ductus oppugnarit, in eaq; obſidione occubuerit. Sed ex Liuio lib. 8. de bello Macedonico videretur, quod hoc templum tandem expugnauerint, ſpoliauerintque ijdem Galli, in hoc tùm ſibi ipſi, qui eos in via Gabinia pariter occubuiſſe aſſerebat, tùm Iuſtino, qui in oppugnatione Delphici templi Brẽnum cæſum fuiſſe dicat, cõtrarius. Nam Cn. Mãlius conſul, in oratione ſua pro triumpho habita, ex bello quod in Aſia cõtra Gallos geſſerat, ſic ait: Verũ etiam Delphos quondam com- Liuius lib. 8.

mune humani generis oraculum, vmbilicũ orbis terrarum Galli ſpoliauerunt. Ex hijs quæ præmiſimus ſatis conſtat eundem fuiſſe Brennum, qui & Romam cœpit, & in Macedoniam poſtea irrupit, & Delphos ſpoliauit: Atque hoc planiùs etiam efficit, quod Iuſtinus libro viceſimo in fine ſcribit de ijſdem in hunc modum. Sed Dionyſium gerentem bellum, legati Gallorum, qui paucos ante menſes Romam incẽderunt, ſocietatem, amicitiamque petentes adeunt, gentemque ſuam inter hoſtes eius (nempè Crotonienſes) poſitam eſſe, magnoq; vſui ei futurum vel in acie bellanti, vel de tergo intentis in præliũ hoſtibus, affirmant. Grata legatio Dionyſio fuit, ita poſtea ſocietate, & auxilijs Gallorum auctus, bellũ velut ex integro reſtaurat. Ijs autẽ Gallis cauſa in Italiam veniendi, ſedeſq; nouas quærẽdí, inteſtina diſcordia, & aſsiduę domi diſſentiones fuêre, quarum tedio, quùm in Italiam veniſſent, ſedibus Thuſcos expulerunt. Et Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vincẽtiam condiderũt. Hactenus ille. Ex quibus, tria ad hanc rem de qua agimus ſpectãtia, licet obſeruare. Primùm, minimè verum eſſe, Gallos ipſos qui duce Brenno vrbem Romã cœperint, ad internitionem vſq; in via Gabinia deletos eſſe, vt Liuius habet, ſic vt ne nũcius quidẽ tantæ cladis ſupereſſet: quo prelio Romani Camilli auſpicia ſequuti, cum illis dimicabant, cùm & hij fuerint ijdem ipſi Galli, qui Romã cœperint, quorũ tantus ſupererat numerus, vt Dionyſius Rex eorũ ſocietatẽ non cõtempſerit. Secundò, non interceſsiſſe tantum interuallum tẽporis, quantum Polydorus affirmat, puta 110. annos

Iuſtinus lib. 20.

inter

inter Romæ excidium à Brenno,& Gallorũ in Græciam irruptionẽ, quùm Iuſtinus aiat, hos Gallos antè paucos menſes, quàm hæc cum Dioniſio geſta ſunt, Romam incendiſſe, & alteros Gallos, quorum vna pars Belgio duce Ptolomeum Macedoniæ Regem ſuperauit. Altera duce Brenno, Soſthenem Macedonũ ducem fudit, circa idem tempus hoc feciſſe aſſeueret. Tertio, ex hijs verbis Iuſtini apparere, eandem fuiſſe Gallis migrandi ex natali ſolo occaſionem, quæ in hiſtoria Brytannorum recepta habetur, videlicet, inteſtinam diſcordiam, & aſsiduas domi diſſentiones, quas inter fratres Belinum & Brennum fuiſſe ſatis conſtat, de quibus & eorum geſtis, præter hiſtoriam traductam per Gaufredum, ſunt nonnulla antiquiſsima carmina in eorum laudem Brytannicè conſcripta, quæ Brytannis, vt oracula quædam, ob maximam antiquitatem adhuc & memoria retinentur, & conſeruantur literis. Neque huius erroris Polydorum vſq; adeò inſimulare velim, quòd alium atq; alium fuiſſe Brennum aſſeueret, qui Romam cœperit, & qui in Græciam irruperit, quia Titus Liuius ei aliquam occaſionẽ præbuiſſe videtur. Sed vnde errorem illum hauſerit, Brennum ducem Gallorum in Græciam, alterum illum qui Romam cœperit 110. annis ſubſequutum eſſe, quum potiùs haberet contrariæ opinionis authores, qui affirmant nonnullos Celticæ prouinciæ Gallos, ducentis annis ante noſtrum Brennum Capitolinæ arcis expugnatorem, Alpes primum tranſijſſe. Ex quibus Liuius eodem loco, quo de Brenno mentionem fecit, ad hunc mo-

dum ait. De tranſitu Gallorũ in Italiã hæc accepimus. Priſco Tarquinio Romæ regnante, Celtarũ, quæ pars Gallię tertia eſt, penès Bituriges ſumma Imperij fuit, ij regẽ Celtico dabant: Ambigatus is fuit, virtute, fortunaq; tũ ſua tũ publica prępotẽs, quòd imperio eius, Gallia adeo frugũ hominũq; fertilis fuit, vt abundans multitudo, vix regi videretur poſſe, hic magno natu ipſe iam exonerare prægrauãte turba regnũ cupiens, Bellonesũ, & Sigoneſum ſororis filios, impigros iuuenes miſſurũ ſe eſſe, in quas dij dediſſent augurijs ſedes, oſtendit: quantũ ipſi vellent numerum hominũ excirent, ne qua Gens arcere aduenientes poſſet: & cætera quæ ibi inſequuntur, vbi nihil de aditu eorum in Græciã, (nam in Italia conſedêre omnes) diſſerit, vbi lectorẽ attentũ eſſe velim, quo modo ſibi cõſtet Liuius, quùm paulò ante ſcripſerit ad hunc modum de Gallis, qui ſub Brenno Romam cœperint, loquens. Eam gentem traditur fama dulcedine frugum, maximeq; vini, tum noua voluptate captã Alpes tranſiſſe, agrosq; ab Hetruſcis ante cultos poſſediſſe. &c. Si ij primum noua voluptate capti Alpes primum tranſierunt, non item alij priùs tranſierunt, ſed ijdem ipſi erant, qui ſub Brenno vno eodemq; Alpes ſuperarunt, neq; eos in via Gabinia omnes, vt ipſe Liuius ait, occubuiſſe, vt nuntius quidem cladis non ſupereſſet, eodem Liuio alibi referente conſtat. Nam de bello quod auſpicijs Cn. Manlij in Gallogręcia geſtum eſt, libro octauo de bello Macedonico ſcribens, ſic ait. Galli magna hominum vi, ſeu inopia agri, ſeu predæ ſpe, nullã gentem per quam ituri eſſent, parem armis rati, Brennone

none duce in Dardanos peruenêrunt. Ibi ſeditio orta, & ad viginti milia hominum cum Loumorio ac Lutario regulis à Brennone in Thraciam iter auertunt, vbi cum reſiſtētibus pugnando, pacem petentibus ſtipendium imponēdo, Bizantium quum perueniſſent, aliquamdiu oram Propontidis vectigalem habendo, Regionis eius vrbes obtinuerunt. Cupido inde eos in Aſiā tranſeundi, audiētes ex propinquo quantū vbertas terræ eius eſſet, cæpit. Et mox ſequitur: Quemadmodū in Aſiam tranſierint, Zibiamq; Bithiniæ regem deuicerint, vbi hęc adijcit. Profecti ex Bithinia in Aſiā proceſſerunt, non plus ex viginti milibus hominum quàm decem armata erant, tamē tantum terroris omnibus, qui cis Taurum incolunt, Gentibus iniecerunt, vt quas adijſſent, quas nō adijſſent, pariter vltimæ propinquis imperio parerent. Quę omnia quadrāt cū hijs quæ ex Iuſtino ſuperiùs retulimus, eoſq; ipſos ex eorū ſobole fuiſse, qui Romam cæperint, ex oratione dicti Conſulis quæ proximè ſequitur conſtat, quum de ipſis Gallis exercitum Romanum alloquens ait. Semel primo cōgreſsu ad Alliam olim fuderunt maiores noſtros. &c. Ibiq; conſtat Gallogræciam ab ijſdem Gallis nomē, & Gallogręcos primū genus traxiſse, vt identidem apud Iuſtinū legere eſt, ad quos, videlicet Liuiū & Iuſtinum ne longiùs in hac re immorer, lectorē remitto. Vnū hoc addens ex Suetonio, quo illud incertū eſse apparet, quod de auro ablato à Gallis, interuentu Camilli ſuperius à Liuio refertur. Ipſe nempe in vita I. Cæſaris ſic ſcribit. Druſus, hoſtiū duce Drauſo cominus trucidato, ſibi poſteriſq; ſuis cognomē inuenit.

Traditur

Traditur etiam pro Prætore ex Prouincia Gallia retuliſſe aurum Senonibus olim in obſidione Capitolij datū, nec (vt fama eſt) extortū à Camillo. Hinc liquet quòd hæc, Titus Liuius fama tantummodo, incerto quidem authore relatum ſcripſerit, de qua eleganter Virgilius. Tam ficti prauiq; tenax quàm nuntia veri. Ex hijs quæ ſuperius memorauimus, abundè ſatis argumentorum colligere poſsit ille, cui ſtudio eſt Britannicas res pro dignitate illuſtrare, quum ad aſtruendum quæ Gulielmus Neuburgus de his irridendi gratia perſcribit, tum ad Gaufredi dicta conſtabilienda, ſi is quidem quod per ludibrium ei obijcitur, Britannis noſtris aliquam, ſi non parem Romanis vel Macedonibus ipſis laudem tribuerit, quippe quos conſtat vtranq; hanc gentem multis prælijs fudiſſe. Verùm quum ipſum Brennum qui Romam cœperit fuiſſe ducem eorum, qui in Grætiam ſe effuderunt Gallorum, ex Iuſtino ſatis probatum ſit, eoſque ibidem varias gentes, Reges, Ducesq; ſubiugaſſe, adeò vt totam Aſiam ſub ſe tributariam vectigalemq; per multos annos tenuerint, ſatis hinc materiæ ſubminiſtrabatur Polydoro, etiam ex authoribus Romanis, quos ſolos admittit, quo de gente Brytannica aliquid laude dignū prædicaret, niſi Gildam ſuum tam auide ſequutus, vituperare illam potiùs quam laudare maluiſſet. Nam quid vnquam magis laudandum in re militari de vllo Principe dici poteſt, quàm quod de hoc Brenno, inimicis teſtibus, agnoſcitur, & prædicatur, quando Alpium inuicta iuga ipſum penetraſſe, per ſtrageſq; gentium interpoſitarum

ipſos

ipſos Romanos rerum dominos iuſta acie fudiſse & profligaſse, ipſamque tandem Romam, tum armis tum viribus florentem adijſse, cœpiſse & ſubiugaſse. Ac poſt Macedones, Græcos, Aſiaticos, cæteraſque quaquauerſum tenderet nationes deuiciſſe, vectigaleſque feciſſe, ex prædictis ſatis conſtat. Si hæc de Romano quopiam dicerentur, deum immortalem, qua verborum vi, quo orationis eloquio ea exornaret & explicaret, adeo vt quod à Flauio Vopiſco in vita Probi aſſeritur, verum eſſe comprobetur, videlicet, omnes omnium virtutes tantas eſſe, quantas videri eas voluerint eorum ingenia qui vniuſcuiuſque facta deſcripſerint. Si quis de Romanis ſcribere inſtituens, viris ſine dubio rei olim bellicæ gloria maximè illuſtribus, dedita opera ea tantum percenſeret, ac in literas referret, quæ parum vnquam fortiter ab illis ac minus ſtrenuè geſta ſunt, omiſsis quæcunque ad famæ ipſorum ſplendorem attinerent, nonne pulchrum, ſcilicet & egregium de eis encomium compaginare poſſet? Quid tam laudabile vnquam fuit, quin extenuando ea quæ laude, & exaggerando ea quæ aliqua vituperatione digna eſſent, vitioſum appareat? Quale eſt hoc quod Titus Liuius de fuga Romanorum ad Alliam dicit: In altera acie nihil ſimile Romanis, non apud Duces, non apud milites erat, pauor fugaque occupauerat animos, & tanta hominum obliuio, vt multo maior pars Veïos in hoſtium vrbem, quùm Tiberis arceret, quàm recto itinere Romam ad coniuges ac liberos fugeret, parumper ſubſidiarios tutatus eſt locus, in reliqua acie ſimul

eſt clamor, proximus à latere, vltimus à tergo auditus, ignotum hoſtẽ prius penè quàm viderent, non modo non tentato certamine, ſed ne clamore quidem reddito, integri intactiq; fugerint, nec vlla cede pugnatum fuit, terga cæſa ſuomet ipſorum certamine in turba impedientium fugam. Circa ripam Tiberis, quò armis abiectis totum ſiniſtrum cornu defugit, magna ſtrages facta eſt, multosq; imperitos nandi, aut inualidos, graues loricis, alijsq; tegminibus hauſêre gurgites, maxima tamen pars incolumis Veïos profugit, vnde non modo præſidij quicquam, ſed ne nuntius quidẽ cladis Romã eſt miſſus. Confer hæc cum eo quod ex Gilda Polydorus adfert de Cȩſaris in hanc Inſulã aduentu. Et videbis par pari relatũ. Sic enim ſcribit Gildas ille; Etenim reges Romanorũ quum orbis imperium obtinuiſsẽt, ſubiugatis finitimis quibuſcũq; regionibus vel Inſulis orientem verſus, prima Parthorum Indorum confinium parta pace, qua peracta, in omni penè terra tũ ceſſauere bella, & potioris famȩ viribus firmaſsent, non acies flammæ quodammodo rigidi tenoris ad occidentem cȩruleo Oceani torrentȩ potuit vel cohiberi vel extingui, ſed transfretans, Inſulæ parẽdi leges nullo obſiſtente aduexit, imbellẽq; populũ ſed infidelem, non tam ferro, igni, machinis, vt alias gentes, quàm ſolis minis, indiciorúmue concuſsionibus in ſuperficie tantum vultus, preſſo in altum cordis dolore ſui obedientiã proferentem, edictis ſubiugauit. Nonne hinc apertiſsimè liquet Gildam (ſi tamen Gildas is fuerit) de induſtria vituperationẽ gentis inſtituiſſe potiùs quã hiſtoriæ alicuius concinnationẽ? Et quãuis Polydorus

huius rei haud ſit inſcius, tamen hæc à Gilda minus verè dicta ſuæ hiſtoriæ interſerit, non tam in gentis Brytannicæ ignominiam, quàm in ſuæ gentis, ſcilicet Romanę, gloriam. Videlicet quæ de Brytannis laudabiliter ſcripta ſunt, aut eleuando, aut ea quæ de Romanis referuntur ſupra modum amplificando, adeò vt non Brytannicæ, ſed potiùs Romanæ gentis hiſtoriam condere videatur. Nam ſi huius Inſulæ hiſtoriã texere in animum induxiſſet, laudanda iuxta ac vituperanda, prout ordo rerum expoſceret, pro meritis cuiuſq; more fidelis hiſtorici enarraſſet. Non verò ea tantum quæ vituperio probróue digna viderentur, vndiq; conquirendo exaggeraſſet, vt famoſum potiùs carmen quàm gentis huius hiſtoriam condere videatur? Eo enim modo nec Romani ipſi quantumuis laudati à probro ſe vſquequaq; tuębantur. Si quis ea omnia quæ à Romanis minus ſtrenuè aut infeliciter geſta ſunt hinc inde ex eorum hiſtoricis conquirat, atque inde Corollarium concinnet, nulla vſq; adeò Gens reperietur, eo vſq; parte ex omni rebus præclarè geſtis abſoluta, de qua nihil reprehenſione dignum prædicari poſsit. Verùm vt hæc ſemel prætercam, quæ ex Latinis authoribus à Polydoro partìm inuerſa ſunt & partìm immutata: nunc ad illa quæ à noſtris tantum ſcriptoribus memorata, ab ipſo vel penitùs reijciuntur, vel tali ſaltem ſcommate eluduntur, vt vana & fictitia prorſus lectori videantur, modo eius tantum ſententiæ acquieſcens, vltra rem minimè excutiat. Quale eſt illud quod de Arthuro Rege illo Brytonum illuſtriſsimo & toto

orbe decātato, ab ipſo Polydoro memoratur. Abhinc (inquiens) paucos annos poſitum fuit Arthuro in Glaſconienſi Cœnobio ſepulchrum opere magnificum, quo poſteriores intelligerent illum omnibus ornamentis dignum fuiſſe, quando Arthuri tempore Cœnobium illud non dum eſſet conditum. Nonne hijs palam videtur ſubinnuere non poſſe Arthurum illic ſepeliri, vbi nullum tempore ſuo Cœnobium extructum fuiſſet, quod credulo lectori, & non vſquequaq; intento ſatis fore putabat, vt Arthurum nunquam inter viuos verſatum fuiſſe, totamq; eius hiſtoriam vanam & fictitiam fore crederet, Quare vt huic de Arthuro quæſtioni, non à Polydoro tantū (vt verum fatear) iam primum excogitatæ, verū ab eo vt alia omnia quæ Britannorum decori aliquatenus detrahere videantur, propoſitæ reſpondeam. Etſi à quibuſdam alijs tum noſtri temporis tum ſuperioris ætatis ſcriptoribus, & poſtremo à Leylando noſtro huic ſcrupulo abundè ſatiſfactum eſſe videā, pauca tamen quæ ex Britannorum tum Annalibus tum antiquitatibus de Arthuro acceperim, hijs adijcienda ſtatui, atq; nōnulla quæ in hoc à me iamdudum parata ſunt argumenta, etſi ab eodem Leylando memorata, partìm quo ſępiùs tranſcripta minus obliuioni obnoxia ſint, partìm quia prothotypa ipſa vnde ea & ipſe accepit dum hac de re vltro citroq; dies aliquot ſermonem vnà conferremus, penès me pleraq; ſunt, vnde fides certior hijs facienda ſit, hîc denuò repetere non ab re fore putaui.

De Arthuro Brytonum Rege illuſtriſsimo.

ETſi Polydorus ipſe, hunc apertè ex Regum Brytannorum catalogo non reijciat, adeò vt quibuſdam ſimplicioribus, qui in ipſius hiſtoriæ lectionem incidunt, immeritò inter eos qui Arthurum impugnent, cenſendus eſſe videatur, obliquè tamen ipſius famæ & gloriæ immortali detrahere deprehenditur. Ait enim: Sepulchrum illud quod in Cœnobio Glaſconiẽſi Arthuri nomine inſigne adhuc viſitur, eidem poſitũ fuiſſe paucos abhinc annos, quãdo Arthuri tẽpore Cœnobium illud nõdũ (inquit) eſſet cõditũ. Hoc ſcilicet præcipuum eſt iaculum, quod in Arthuri manes veluti ex inſidijs contorquet Polydorus, ſed quàm irrito nixu, mox patebit. Tametſi enim certum eſt ſepulchrum illud quod nunc Arthuri nomine Glaſconiæ viſitur, non iam inde ab Arthuri tempore, verùm ante quadringentos abhinc annos extructum eſſe, ex occaſione tamẽ vetuſtioris ipſius Arthuri ſepulchri tum demùm reperti, id nouum & magnificum erectum eſſe conſtat, adeò vt vel hoc ſolum operis, ea qua extructum eſt occaſione duntaxat penſata, ad Arthurum ipſum è tenebris tetraque obliuione, qua eum Polydorus ipſe & alij obruere conantur, aſſerendum ſatis eſſe debet. Modus ipſe quo Arthuri oſſa eò loci quæſita atque reperta ſunt, à Giraldo Cambrenſi libro diſtinctionum ſuarum

Polydori de Arthuri ſepulchro cauillus.

Giraldus.

rum cap.18.qui rei totius oculatus erat teſtis, deſcribitur. Rex item Henricus ſecundus, tum occaſionem rei explorandæ dediſſe, tum oſsibus Arthuri in id loci, quo nunc repoſita ſunt, transferēdis, & ſepulchro tam magnifico honorandis author aſsignatur. Res tam publicitus geſta, tamque locupletibus aſſeuerata teſtibus, nullius fraudis excogitationi, obnoxia eſſe potuit. Deinde tam vetuſtum Epitaphium, quod in ſepulchro Arthuri repertum eſt, vetuſta plumbea lamina inſcriptum his verbis:

HIC IACET SEPVLTVS INCLITVS REX ARTHVRVS IN INSVLA AVALLONIA CVM WENEVERA VXORE SVA SECVNDA,

palam oſtēdit, ex ipſarū literarū antiquitate, rem nullo modo effingi potuiſſe, vt quis vel maximè ſuſpitioſus, eò temeritatis audaciæq; prouectum quenquam exiſtimet, qui talem impoſturam tam metuēdo Regi obtrudere auderet, aut tam abſolutū artificem, qui tot ſagacium prudētiumq; virorum qui dum oſſa Arthuri exhumarentur ſpectatores fuêre, oculos perſtringere potuerit: verùm de hoc poſtea fuſiùs. Nunc oſtendamus omnino vanū eſſe, quod hîc Polydorus obliquo dicterio huic rei obijcit, vbi ait: Nondum Arthuri tempore Cœnobium illud conditum fuiſſe, quaſi hoc Enthimemate legentibus ſubintelligēdum innuat, ſi hoc verum eſt, quod Cœnobium illud ipſius tempore nondum erat conditum, neque eius corpus illic humari veriſimile fuit, quandò Chriſtianos, cuiuſmodi erat Arthurus ipſe, in loco ſacro ſepelire mos erat. Cui quidem cauillo, etſi Polydorū ipſum ſibijpſi alibi ſatisfeciſſe liquet, vbi ait locum illum, quo nunc Cœnobium illud ſitum

eſt,

eſt, à Ioſepho Arimathenſi celebratum fuiſſe breui poſt Dominicam aſcenſionem, quod vnicum antiquitatis Brytannicæ teſtimonium approbare videtur, neque veriſimile ſit locum aliquem, vbi Chriſti cultores tam diu iam olim verſabantur, aliquo ſaltem phano, Sacello, ſiue Cœnobio in Arthuri vſque tempora caruiſſe, quorum aliquod ſi tum temporis fuerit eo loci extructum, ſatis idoneus videbatur Chriſtianorum ſepulturæ, imò vel Principum virorum, ob ſummam loci antiquitatem. Tamen & Cœnobium ingens, quãuis non tam magnificum ac nunc eſt, nedum Sacellum, inibi Arthuri tempore extructum fuiſſe facilè videbitur, Arthurumque inter pręcipuos illius beneficos connumeratum. Hoc oſtendunt regia Diplomata illic in hęc ferè tempora adſeruata, & præcipuè regis Henrici ſecundi ſub hijs verbis. Quæcumque enim à prædeceſſoribus meis Gulielmo primo, Gulielmo ſecũdo, & Hẽrico auo meo, ſed ab antiquioribus videlicet Eadgaro patre ſancti Eadueardi, ab Eadmũdo & à patre ipſius Eadvvardo, & Ealfredo auo eiuſdem, Brinvvalchio, Kẽvvino, Baldredo, Iua, Cuthredo, & Arthuro, & multis alijs regibus Chriſtianis. Sed à Kenvvalchio Rege pagano, quorum priuilegia & chartas diligenter feci inquiri, & coram me preſentari & legi. Hactenus ex Diplomate illo regio. Graue ſanè teſtimonium eſt tanti regis aſſerentis, ſe vidiſſe Arthuri ipſius inter aliorum huius regni principum virorũ chartas & priuilegia, hoc vel in foro (vt aiũt) cõtẽtioſo, vtpotè ſatis authenticum, fidem huic rei, de qua agimus, abundè facere debet. Sed dixerit quis, hæc verba tantum ad explen-

dam formam in huiuſmodi inſtrumentis cõfirmatorijs addi ſolere, vel Rege inconſulto, cuius nomine emanârunt. Verùm abſque priorum huiuſmodi Diplomatum inſpectione per regios officiales, talia addi non ſolêre, teſtes erant ſcriuiorum regiorũ cuſtodes, quos Cancellariæ clericos appellant, ſi secùs fecerint, non impunè illud fore. Atque huiuſmodi nõnulla alia producit Leylandus ille antiquitatis Brytannicæ conquiſitor curioſiſsimus (quem ob eam animi propenſionem Rex Henricus, eo nomine octauus, ad bibliothecas huius regni omnes perſcrutandas ſuo Diplomate regio commendatum amandauerat) pro antiquitate eccleſiæ ſiue Cœnobij Glaſconiẽſis aſſeueranda, quæ perſuadere cuiuis debent, eam eſſe non minus antiquam, quàm Chriſtianæ religionis in Brytannia primam plantationem, quam non plus centum quinquaginta ſex annis à Chriſto ſeruatore nato hîc propagatam eſſe, conſtat. Habeo item ipſe quandam Coronidem adiectam hiſtoriæ D. Bedę à quodam Cuthberto eiuſdem D. Bedę contemporaneo, quod ex epiſtola eiuſdem Cuthberti ibidem addita de morte D. Bedæ cui ſe interſuiſſe ait, manifeſtò liquet: vbi inter cætera, de locis ſepulturæ ſanctorum Angliæ, hæc verba habentur. Beatus igitur Aidanus, ſanctuſque Patricius, & alij plures cum eis requieſcunt in loco qui dicitur Glaſtingaberi, qui quidem Patricius obijſſe dignoſcitur, ſub annum Domini quadringenteſimum ſeptuageſimum ſecundum, & ſepultus in eccleſia Glaſconię dicta vetuſta, quod ex vetuſtiſsimis monumentis verum eſſe liquet. Quibus aſſeritur, eundem D. Patricium Hibernienſium Apoſtolum

Aliàs 178.

ſtolum æditum fuiſſe anno incarnationis Domini trecenteſimo ſexageſimo primo, & miſſum à Celeſtino Epiſcopo Romano ad ſuggeſtionem Sancti Germani, ad Hibernos fide Chriſtiana imbuendos, anno Domini quadringenteſimo triceſimo. Ex cuius etiam epiſtola in hæc ferè tempora Glaſconiæ adſeruata, cuius prothotypon Leylandus ſe vidiſſe ait, atque ego illius exemplar iam olim exſcriptum habeo, in vita illius D. Patricij, conſtat eundem Patricium monaſticam vitam triginta perpetuos annos Glaſconiæ egiſſe, ſeque ibidem ad primum ſui aduentum repperiſſe duodecim viros Heremiticam & ſolitariam degentes vitam, quod pluribus confirmare poſſum monumentis antiquiſsimis, niſi ſatis eſſe exiſtimarem vnius Bedæ prædicti familiaris epiſtolam ſiue Coronidem, qua aſſerit D. Patricij corpus Glaſconiæ ſepultum eſſe, quod Eccleſiæ celebritatem vel Arthuri temporibus ſatis abundè aſſerit, vt ſatis credibile ſit Arthurum eo loci ſepultum fuiſſe iuxta hiſtoriæ receptæ aſſertionem. Quare Polydori de ea re obiectioni abundè reſponſum eſſe arbitror, cùm & ſua ipſius & aliorum veterum aſſertione probatum ſit Cœnobium aut ſaltem Eccleſiam, vbi Chriſtiani obeuntes ſepeliri poſſent, longè ante Arthuri tempora eo loci extitiſſe. Ad hæc, quum Gildæ nomen in Brytannicis monumentis celebre haberetur, ipſiuſque de Arthuro ſilentium in libro, qui eius nomine ad preſens circumfertur, nuper Polydori opera, eo potiſsimùm nomine typis excuſus, pro validiſsimo aduerſus Arthurum argumento depromitur, nempè à quo & cæteri, qui ſubſe-

quid ſunt ſcriptores præſertim Latini aliquot, qui Brytannica ſcripta ſiue ignorantes ſiue contemnentes ea tantùm quæ Latinè prodita eſſent, memorarunt, ſuum hauſiſſe errorem & de Arthuro ſilentium deriuaſſe videntur. Atque cùm in Brytannicis monumentis, tum apud Giraldum Cambrenſem legerim, vel ſuo tempore decantatum fuiſſe, quòd Gildas aliqua prius glorioſè de Arthuro prædicauerit, & deinde ob cædem Hoëli eius fratris ab Arthuro patratã ea ſuppreſſerit, aliaquè non tam laudanda de ipſo emiſerit & diſſeminarit, ingenti fateor ſtudio æſtuabam, Gildæ ipſius aliqua ſaltem ſcripta videre, vnde vetuſtiſsimas bibliothecas tum Cœnobiorum & eccleſiarum huius regni publicas, tum priuatas aliquot amicorũ curioſiùs perſcrutatus, in binos tandem Gildæ nomine inſcriptos libellos incidi: Alterum in Brechonia Demetarum, quæ nunc auſtralis VVallia dicitur, vrbe, natali quidem ſolo mihi chariſsimo, ex Cœnobio Monachorum, quod ibidem erat Benedictini, quem vocant, ordinis deſumptum: Alterum longo poſt tempore in regia bibliotheca videre licuit, adiectum hiſtoriæ cuiuſdam Ioannis de Sancto Albano, quem cum illo priori diligentiſsimè collatum per omnia penè ad verbum conuenire reperi. Vterque magnam antiquitatem ipſis characteribus manuſcriptis præ ſe ferebat. Inſcriptio item clara & per omnia conueniens rubro deſcripta minio, nempè hæc: Incipiunt geſta Brytonum à Gilda ſapiente compoſita. Videtur libellus ille primùm à Gilda compoſitus, at poſtea à litteratoribus aliquot qui in eum inciderant, mirè deprauatus. Nam

ſupputationem quam ipſe ad ſuam tempeſtatem deduxerat, illi expunxerunt, & ad ſua tempora applicarunt : vt ex lacunis quas huiuſmodi lituris fœdauerunt liquet. Orditur enim ſic: A principio mundi vſque ad Diluuium, anni ſunt.2242. A Diluuio vſque ad Abraham, anni.942. Ab Abraham vſque ad Moyſen, anni.640. A Moyſe ad Dauid.500.anni. Et à Dauid vſque ad Nabuchodonoſor, anni 569. Ab Adam vſque ad tranſmigrationem Babiloniæ, anni computantur.4779. Et à tranſmigratione Babiloniæ vſque ad Chriſtum.563. Ab Adam verò vſque ad paſsionem Domini noſtri IESV Chriſti 5228. A paſsione autem Chriſti peracti, ſunt anni : hîc apparet lacuna, vbi veteri ſcriptura expuncta, nouis characteribus hic numerus ſuppletur, videlicet.796. nempè ipſo Literatore, temporis ſupputationem ad ſuam tempeſtatem traducente, quum prius ad Authoris duntaxat tempeſtatem applicita fuiſſet. Deinde in contextu hiſtoriæ vbi libelli author Incolas huius Inſulæ qui ſuo tempore fuerint, commemorat, hæc habuit: Et in ea habitant quatuor Gentes, Scoti, Picti, Saxones, ac Brytones. Nouus hic ſcilicet Ariſtarchus pro (habitant) prius habitabant inſcripſit, quod nouiter adiectum eſſe præter veteris exemplaris contextum, ex recentiori tum characterum tum atramenti ſpecie, liquido conſtat, nulla ratione habita temporis quo ſuperiora ſcripta ſunt, ſed ſuæ duntaxat tempeſtatis. Et ad eum modum quamplurima eius libelli loca

dum corrigere vellet, viciauit & corrupit. In eo tamen libello fit mentio de D. Patritio, necnon de Arthuro admodum luculenta, & de bellis inſignioribus numero duodecim ab eo patratis, à quo & VVillielmum Malmesburienſem & Henricum Huntingdonenſem ea quæ de ipſo Arthuro ſuis hiſtorijs ex Gildæ authoris fide cõmemorant, mutuatos eſſe crediderim. Hinc igitur aliqua ſubijcere ſtatui ad rei de qua agimus maiorem faciendam fidem, quando nihil poſt Gaufredi tempora ab aduerſarijs hîc admitti video. Et hunc quidem libellum longè ante Gaufredi ipſius æuum, quicumque tandem ipſius author fuerit, vel ex recentiori temporum ſupputatione in eo ſubducta, liquidò apparet. Et quamuis aliqua ei à poſterioribus aliquot ſciolis adiecta videantur, quæ Gildæ tempeſtati minimè conueniant, ex Gildæ tamen commentarijs hunc deſumptum eſſe facilè crediderim. Non enim nouum eſt veterum chronicis, recentiora vt emergunt rerum euenta addere, inſcriptione tamen primi authoris minimè abolita. In eo quidem libro hæc de ſancto Patricio habentur ad verbum. A primo anno quo Saxones venerunt in Brytanniam, vſque ad annum quartum Mermini Regis, ſupputantur anni quadringenti viginti nouem. A natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti ad aduentum Sancti Patricij ad Scotos, quadringenti quinque anni ſunt. A morte Patricij vſque ad obitum Sanctæ Brigidæ, quatuor anni ſunt. A morte Columchillæ vſque ad obitum Sanctæ Brigidæ quatuor ſunt anni. Initium compoti viginti tres Cicli decennouales. Ab incarnatione Domini vſque ad aduen-

Alius libellus habet ad Hiberniam.

aduentum Sancti Patricij in Hiberniam & ipſi annos efficiunt numero quadrigentos triginta octo. Et ab aduentu Sancti Patricij in iam dictam Inſulam vſque ad Ciclum decennoualem in quo ſumus, viginti duo Cicli ſunt, id eſt quadringenti viginti vnus ſunt. Duo anni in ogdoade vſq; in hunc annum in quo ſumus. Hactenus ille: Atq; hæc ideò adſcripſi, vt ſcriptoris huius tempora innoteſcant, qui longè ante Gaufredi Monomutenſis tempora ex ſupputatione predicta floruiſſe conſtat. Hinc ea quæ Gulielmus Malmeſburienſis ſe in geſtis Brytonum de Vortigerno legiſſe ait: Et quæ de Vortimero ſcribit Chronica habere, Arthurumq; in obſidione Badonici montis, fretũ imagine Dominicæ matris, ſtupenda geſsiſſe ſcribit, deſumpſiſſe credendus eſt: Nam ea hoc in libello memorantur, neq; ea ex Gilda quem Polydorus euulgandum curauit ſumere potuit, quippe qui nec Vortigerni quidem ſpeciatim vllam mentionem facit, nedum Vortimeri aut Arthuri. Deinde ex Gaufredo ea deſumere non potuit, nam hiſtoriam Brytannicam nõdum euulgauerat, quum Malmesburienſis ſuam ederet. Henricus Huntingdonenſis integras habet clauſulas ex hoc libello ad verbum deſumptas in ſua Brytanniæ deſcriptione, quum nondum videret Gaufredi tranſlationem, nam eundem Henricum ſuam edidiſſe Anglorum hiſtoriam longè ante Gaufredi tranſlationem hiſtoriæ Brytannicæ factam, tum ex ipſo Gaufredo in fine, tum ex libro alio ab ipſo Henrico poſtmodum ędito, quem de ſummitatibus rerum inſcripſit, ſatis liquet. Authorem tamen non nominat

Nota quo tempore ſcriptor hic floruerit.

ſpeciatim, vnde ea exceperit, quæ de primo incolatu Brytanniæ ibidem refert, ſed ait quod in Beda non inuentum alijs authoribus reperi: ac mox ea ſubdit quæ habentur in libello iam dicto, Gildæ nomine inſcripto. Sunt & alij, inter quos Ioannes Anglicus, qui quædam ex hoc libello citant ſub Gildæ nomine.

Nennius.

Leylãdus Nennium neſcio quem huius libelli authorem putat. Quicunq; is demùm fuerit non multum refert, quando perantiquum eſſe ſatis liquet. Is quidem hæc de Arthuro ad verbum habet. Tunc Arthurus contra illos, videlicet Saxones pugnabat, ſed ipſe dux erat bellorum. Primum bellum fuit in oſtio fluminis quod dicitur Gleni. Secundũ, & tertium, quartum & quintum ſuper aliud flumen quod dicitur Duglas. Sextum ſuper flumen quod vocatur Baſſas. Septimum fuit in ſilua Celidonis. i. Cath coed Celydon. Octauum fuit in Caſtello Guinion, in quo Arthurus portauit imaginem ſanctæ Mariæ ſemper virginis ſuper humeros ſuos, & Pagani verſi ſunt in fugam in illo die, & multi ceciderunt, & cędes magna fuit ſuper illos per virtutem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & per virtutem ſanctæ Mariæ virginis genitricis eius. Nonũ bellum geſtum eſt in vrbe Legionis. Decimum geſsit bellum in littore fluminis, quod vocatur Tribuit. Vndecimum factum eſt bellum in monte quod dicitur Aſſuet, alias Catregomon. Duodecimum fuit bellum in monte Badonis, in quo corruerũt in vno die nongenti ſexaginta viri de vno impetu Arthuri, & nemo proſtrauit eos niſi ipſe ſolus, & in omnibus bellis victor extitit, & ipſi barbari dum in omnibus bellis proſterne-

Aliàs Rhybroyth forte Rhyd Rhwyd, quod vadum peruium Brytannicè ſocat.

ſternerentur, auxilium à Germania petebant, & augebantur multipliciter ſine intermiſsione, & Reges à Germania deducebant, vt regnarēt ſuper illos in Britannia, vſque ad tempus quo Ida regnauit, qui fuit Eobbæ filius, ipſe fuit primus Rex in Beornica. Hactenus ille. Quæ etſi incomptis verbis ſunt prolata, non mediocre pondus habere debent ob ſcripti vetuſtatem, quam tùm ex ſupputationibus in eo memoratis, tùm ex ipſa ſcripturæ ſpecie, permagnam eſſe conſtat, præſertim quando hunc ſcriptorem tam vetuſtum à Gaufredo nihil mutuatum eſſe, vllo modo ſuſpicari quis poterit. Quare & aliam ſupputationis notulam in fine illius libelli aſcriptam, hijs adijciendam putaui, quæ talis eſt: A mundi principio vſq; ad Conſtantinum & Rufum. 5658. anni reperiuntur. Itē à duobus geminis Rufo, & Rubellio, vſq; in Stilliconem Conſulem. 373. anni. Item à Stillicone vſq; ad Valentinianum filium Placidæ & regnum Guortigerni. 28. anni, & à regno Guortigerni vſq; ad diſcordiam Guitolini & Ambroſij anni ſunt. 12. quod eſt Guoloppum, id eſt Catguoloph. Guorthigernus autem tenuit Imperium in Brytannia Theodoſio & Valentiniano Conſulibus, & in quarto anno regni ſui, Saxones Brytanniam venerunt Felice & Tauro Conſulibus. 400. anno ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ab anno quo Saxones venerunt in Brytanniam & à Guorthigerno ſuſcepti ſunt, vſque ad Decium & Valerianum, anni ſunt ſexaginta nouem. Et ſic clauditur libellus ille. Atque hinc liquet bellum montis Badonici ab

Arthu-

Arthuro confectum eſſe, non autem ab Aurelio Ambroſio, quod Polydorus affirmat. Ad quod inſuper aſtruendum, atq; ad Arthuri nomen aſſerendum, libet hîc quędam Brytãnica carmina Thalieſsini illius prothouatis inter ipſos celeberrimi, ante annos mille ſcripta, quæ ad rem de qua agimus comprobandam plus ponderis habere debent, quàm aliud quicquam quod hactenus viderim. Nam hunc Thalieſsinũ tempore Mailgonis qui Venedotus cognominatur à Brytannis, & Maglocunus à Gilda Polydori dicitur, floruiſſe cõſtat, cui quidem Mailgoni, ex ipſius carminibus iam dictus Thalieſsinus plurimum infeſtus fuiſſe videtur, & ipſius carmina tot exemplaribus ijſque tam vetuſtis ſcripta ſunt, & tam concorditèr eius nomen proferunt, eaq; locutionis phraſi cùm Thalieſsino ipſi, tùm ipſius tempori peculiari proferuntur, vt nulla penitùs ſuſpitio excogitari poſsit ſpuria, aut aliena fuiſſe carmina: Ea porrò vna odula ſunt huiuſmodi.

Gwae yntwy yr ynvydyon, pan vy waith vaddon
Arthur benn haelion y lafneu by gochyon
Gwnaeth ar y alon gwaith gwyr gofynion
Gouynion gwaed daredd mach deyrn y gogledd.
Heb drais heb droſſedd.
Ny bo rhad na gwedd ar Vaelgwn gwynedd
Drwy na ddialer ar Kun y etyuedd
Boed byr vo y vychedd, boed diffaith vo y diredd
Boed hir diuroedd o Vaelgwn Gwyneth.
Talieſſin benn beyrdd ae Kant.

Quæ quidem carmina Latinis auribus in hunc modum exprimi poſſunt.

O miſe-

O miſeros illos nimium, ſub monte Badone,
Quum cruor, Arthuri magnatum principis enſem
Inficeret: fuſiq; foret iam ſanguinis vltor,
Heroum, quorum auxilio Borealia iuſtè
regna ſtetere diu.
Infauſtus, gratus nulli, Malgo venedotus
ſit, modo ne Rhunus filius iſta luat.
Eſto breuis vitæ, vaſti ſine frugibus agri,
perpetuò à proprijs ſedibus exul agat.

Thalieſsinus Prothouates Brytannicus cecinit. Legi item alia Merlini carmina antiquiſsima, quæ mentionem faciunt rei geſtæ ab Arthuro ad Calydoniam ſiluam, quæ huc aſcribenda non temerè putaui, ad perpetuandam huiuſmodi antiquitatis memoriam: Ea ſunt huiuſmodi. Merlinus.

Saith ugein haelion a aethant yg'wyllon
yng koed Kelydon y darvyant:
kanys mi vyrdin wedy Talieſſin
Wythad kyffredin vyn darogan.

Quorum quidem Brytannicorum Rythmorum
ſenſus, Latino carmine ſic efferri poteſt.

Iamq; aberant procerum viginti terq; quaterq;,
Sylua quibus vitæ tulerat Celedonia finem:
Quod non obſcuro cecini clamore futurum,
Poſt Thalieſſinum Merlinus.

Quibus quidem carminibus, centum quadraginta generoſi animi viros in ſilua Calydonia extinctos fuiſſe innuit, idq; à ſe Merlino poſt Thalieſsinum vate publico atteſtatum. Item in Chronicis Brytannicè ſcriptis antiquiſsimis, de hoc Badonico bello ſcriptum reperi in hanc ſententiam. A tempore Vortigerni,

aliàs Guorthigerni, vſq; ad bellum Badonicum quo Arthurus dimicauit aduerſus Saxones & eos debellauit.128 anni ſunt: A bello Badonico vſq; ad bellum de Camilan in quo cæſus eſt Arthurus.22. anni ſunt. Omnis denique Brytannorum antiquitas, hoc bellum Badonicum ab Arthuro geſtum proclamat. Ita vt non mediocris Arthuro ipſi iniuria inferri videatur, ſi rei tam illuſtris tamque vniuerſim notæ & confeſſæ gloria, eidem ſubtrahatur, ob id ſolum quod Gildas hic non luculenter meminerit, ſub cuius auſpicijs geſtum ſit hoc bellum, quod tamen diſertis verbis Aurelio Ambroſio tribuere non veretur Polydorus, citra authoris alicuius euidentem aſsertionem, quia nimirum hic Ambroſius, Romanæ ſtirpis originem (licet materna ex parte duntaxat) traxerit. Quidam inſuper ex noſtris antiquiſsimis Bardis, ſiue Thalieſsinus ipſe ſæpè dictus, ſiue illius contemporaneus aliquis in carmine quodam funebri, quod in mortem Gerentij filij Erbini Dannoniorum principis, qui ex Arthuri commilitonibus cenſetur vnus, iſque eximius, hos reliquit verſus rithmo Brytannico ſcriptos.

Yn lhongborth y lhas gereint
Gwr dewr o goder diſneint
Yntwy n lhad git aſſhedeint
Yn lhongborth lhas y Arthur
Gwyr dewr kymynynt o dur
Amherowdyr lhywyawdyr lhafur.

Hæc quoq; carmina Latinè vtì ſequitur
exprimenda duximus.

Proxima

Proxima quos nobis generis cognatio iunxit,
Strenuus atque tuis Dauonia finibus ortus,
In nauium cecidere ſinu,primumq; perempti:
Arthuro fortes,nauium ſinus abſtulit,arma
Ingentem ferri molem,quorum arma potente
digna duce accipiunt.

Hic vides de Arthuro luculentam haberi mentionem: Sanè carmen eſt antiquiſsimum, & Thalieſsini illius fuiſſe non dubitauerim. Nam etſi anonymon erat in eo quem ego legi libello, tamen inter alias eiuſdem Thalieſsini odulas & carmina ſatis nota, interſerebatur. At vt Brytannicè gnari faciliùs locū deprehēdant, carmen iam dictum hunc in modum orditur.

Panet anet gereint sed agored
Pryth nef Rhodei Criſt a arched
Prit mirrein prydein agoned
Wolet paub yr rudereint

Quæ in Latinum ſermonem traducta
hunc habent ſenſum.

Viuere cognatis quoniam non contigit vltra,
(Vota cui facimus, cœleſtia regna recludas
Chriſte) quibus Brytonum tam magni gloria conſtat:
Hunc laudent, animas qui conſeruauerit omnes.

Similia carmina eodem loci ſcripta reperi, de Cedwallonis victorijs & prælijs ab eo geſtis, qui Edwinum Regem Northumbriæ debellauit, nec non de Kyndelano filio Kēdroini, & de Vriano cognomēto Rheget, qui milites Arthuriani prædicātur, quæ authorem hijs viris contemporaneum planè atteſtātur. Sed & nonnulla alia perantiqua monumēta Britānicè, tum proſa

tum rithmo ſcripta habentur, longè ante Gaufredi Monomutenſis tempora, quibus de Arthuro noſtro luculenta fit mentio, cuiuſmodi ſunt illa, quæ inter Triades eorum connumerantur in hunc ſenſum, videlicet, quod tres viri maximo dedecori huic Inſulȩ fuerint. Primus Auaroïus filius Lud qui Mandubratius à Cȩſare & Androgius à vulgata Gaufredi hiſtoria dicitur, verũ corruptè vtrũq;. Is primus, odio quo Patruũ ſuũ Caſsibellaunũ proſequutus eſt, inuitauit Cæſarẽ & Romanos in hãc Inſulã. Secũdus erat Guorthigernus, qui prim⁹ induxit Saxones in eandẽ, quibus terrã hîc inhabitandã dedit. Is quoq; necem Conſtantis filij Cõſtantini dolo procurauit, duosq; ipſius fratres Ambroſiũ, & Vtherũ cognomẽto Pendragõ in Armoricã profugere cõpulit, & ſibi regni diadema per tyrãnidẽ arripuit. Cæterum hũc Guorthigernum, Ambroſius tandẽ atq; Vtherus concremarũt in Caſtello, quod ex nomine ipſius Guorthigerni, etiã in hȩc tẽpora Guorthigernion dicitur, locus eſt ſatis notus in Demetica regione Cãbriȩ in comitatu Radnoriȩ. Tertius cẽſetur Mordredus ille proditor, quẽ Arthurus ad regimẽ huius Inſulæ moderandũ, dum ipſe aduerſus Romanos vectigal hinc exigentes dimicaturus, expeditionẽ faceret, poſt ſe reliquit, qui eo abſente, fœdere cũ Saxonibus inito, regni diadema ſibi vſurpauit. Quod vt reſciuit Arthurus, cõferto prȩlio, fuſisq; Romanis maturè redijt. Atq; huic Mordredo qui Saxones Pictosq; ſibi cõſociauerat, magna Inſulȩ parte eius fœderis ergò donatos, bellũ ſupremũ intulit, vbi & Mordredus ille interficitur, itidẽq; Arthurus, etſi eo bello ſuperior letaliter

liter vulneratus, in Inſulã Auallonię quaſi curãdus mittitur, & inibi ſecretò, nè mors illius, animos hoſtibus adderet, ſepultus eſt. Sexcenta inſuper alia huiuſmodi ex Brytannicis literis ante annos quingẽtos ſcripta, hîc proferre poſſem, quibus Arthurum Brytannorum regem fortiſsimum, multa egregiè geſsiſſe demonſtrantur. Verùm quia hæc ſufficere arbitror rei Brytannicæ vtcumque expertis, pluribns huiuſmodi monumentis citandis hic ſuperſedendum duximus: & ne alij linguæ Brytannicæ ignari nobis obijciant, hæc nos ex noſtro vt dicitur cerebro excogitaſſe, & plura huiuſmodi ad libitum cõfingere poſſe, habemus quidem ipſa prothotypa tantam antiquitatem præ ſe ferentia, vt ex ipſa literarum ſpecie fidem cuiuis facere debeant, non minus annos abhinc quingentos ſcripta, quibus hæc nullo modo efficta aut nuper excogitata demonſtremus. Verùm nunc aliorum de Arthuro proferemus teſtimonia, quæ ſi ante Gaufredi ipſius tempora ſcripta fuerint, nulla relinquetur occaſio ſuſpicandi, ea à Gaufredo ipſo tum primum excogitata. Et primus eius generis prodeat VVilhelmus Malmesburienſis, qui libro primo de geſtis Regum Angliæ, hæc habet verba: Sed eo (videlicet VVorthemero) extincto, Brytonum robur emarcuit, ſpes imminutę retro fluxêre, & iam tum profecto peſſum iſſent, niſi Ambroſius ſolus Romanorum ſuperſtes, qui poſt Vortigerum regni monarcha fuit, intumeſcentes Barbaros eximia bellicoſi Arthuri opera preſsiſſet. Hic eſt Arthurus: de quo Brytonum nugæ hodieque delirant, dignus planè, quem non fallaces fabulæ, ſed veraces prædicarent hiſtoriæ, quippè W.Malmesb.

qui labantem patriam diu ſuſtinuerit, infractaſque ciuium mẽtes ad bellum acuerit, poſtremò in obſidione Badonici montis, fretus imagine Dominicæ matris quam armis ſuis inſuerat, nongentos hoſtium ſolus adorſus, incredibili cæde profligauerit. Hactenus ille.

Ecce iterum Arthurus aſſeritur Dux belli Badonici.

Deinde Henricus Huntingdonenſis Archidiaconus in ſua Anglorum hiſtoria, eadem bella ab Arthuro geſta, & loca bellorum enumerat, quæ ſuperius referuntur, quæ quidem loca à quodam ante ſe hiſtoriographo deſcripta, ætati ſuæ incognita fuiſſe aſſerit, quod palàm facit, ſcriptorem illum ex quo hæc hauſerit Henricus, fuiſſe peruetuſtum vel ipſius Henrici temporibus, quum nomina ab eo prodita, per id tempus vſquead eò obſoleuerint, vt vel tum eſſent incognita. Et conſtat vtrũque, videlicet & VVilielmum & Henricum hæc ante hiſtoriam à Gaufredo æditam ſcripſiſſe, quod tùm ex temporibus quibus æditi eorum libri declarantur, tùm ex fine hiſtoriæ Brytonum à Gaufredo ipſo tranſlatæ, manifeſtum eſt, ita vt nulla deinceps relinquatur ſuſpitio arbitrandi Gaufredum Monomutenſem hæc de Arthuro effinxiſſe, vt quidam recentiores eum videri volunt feciſſe, quantumuis exiguam fidem habendam cenſeant, poſterioribus qui Gaufredum ſubſequuti ſunt ſcriptoribus, puta Giraldo Cambrenſi, Radulpho Ceſtrenſi, Geruaſio, Ioãni Anglico, & ſimilibus: & hij ſubodorari potuiſſent, vtrum hiſtoria à Gaufredo tranſlata, & præcipuè tam admiranda Arthuri facinora, tum primùm efficta & diuulgata fuiſſent; quorum aliqui ipſius Gaufredi temporibus ſuperſtites nullo modo ſiluiſſent, tot Reges

Henricus Huntingdonenſis.

vno

vno partu, vt Polydorus vult, ęditos fuiſſe ab ipſo Gaufredo: Verùm nihil ſuffragij expetimus hac in parte à Gaufredi ipſius ſequacibus, ne aliquam ſuſpitionem cauſetur quiſquam ab eodem acceptum fuiſſe, quod in hanc rem aſtruendam protulerint. Priſca tãtummodò exquirimus, quale eſt hoc, quod de primaria fundatione Landauenſis Eccleſiæ Cathedralis, quam ante mille annos extructam & dotatam eſſe conſtat, ex vetuſtis ipſius Eccleſiæ monumentis accepimus, vbi inter cæteras ipſius Eccleſiæ donationes vna recenſetur, à Noe quodam filio Arthuri de terra vocata Penalyum, necnon Landeilhavv vavvr ſuper ripam Teyuij fluminis (qui Tibius à Ptolomeo dicitur) tempore Dubritij Archiepiſcopi facta, in cuius donationis calce, & teſtes citantur complurimi, vt ferè fit in huiuſmodi vetuſtis Chorographis, & fines huiuſmodi terrarum limitantur Brytannicis vocabulis adhuc non ita obſcuris, quin magna ex parte intelligantur. Quod de Arthuri nomine ſaltem aſſerendo, præclarum ſanè & Autẽticum mihi quidem videtur teſtimonium, vt nullum aliud exiſtimem luculentius: Liber eſt apud me in hoc proferendus, vt fidem rei faciam, ſi quis de Arthuro adhuc dubius hunc videre deſiderat. Deinde in eodem libro, vbi vita Sancti Dubritij recolitur, luculenta fit mentio de eodem Arthuro & de rebus ab eo geſtis, ad eũdem ferè modum, quo in hiſtoria ab Gaufredo tranſlata memoratur. Quam quidem vitam longè ante Gaufredi tempora in Eccleſia Landauenſi, die D. Dubricij memoriæ dicato, quotannis ab ipſius Eccleſiæ cultoribus, repetitam fuiſſe liquet. Extant

Fundationes Eccleſiæ Cathedralis Landauenſis.

Vide Ptolomeum.

præ-

præterea Annales peruetuſti, in Cœnobijs & Eccleſijs antiquis huius Regni diligenter olim adſeruati, quibus ſuperiorum temporum res geſtas, eorundem locorum cultores adnotare ſolerent. Atq; hijs non exiguam habendam eſſe fidem cenſeo, rerum quæ in ipſis referantur, vtpotè qui etſi à diuerſis ſeorſim poſitis ſcriberentur, in vnum tamen conuenire vt plurimum deprehenduntur. Huiuſmodi libellus peruetuſtus, ex ærario Meneuenſis Eccleſiæ Cathedralis, quæ VValliæ Metropolis olim erat, ab eiuſdem ærarij præfecto mihi tranſmiſſus eſt, vbi plura de rebus in VVallia geſtis, à Brytannici excidio regni habētur, quàm vſquam aliàs me legiſſe meminerim. Is de Arthuri tempeſtate hæc continet: Leo Maior ſedit Imperator annis octodecim: Tempore iſtius Imperatoris pugnauit Arthurus Rex Brytanniæ cōtra Romanos, & Lucium Hiberum procuratorem Reipublicæ in Burgundia deuicit, & Romanos & ipſum Lucium Hiberum interfecit. In vltimo verò anno iſtius Leonis, pugnauit contra Mordredum nepotem ſuum, iuxta fluuium Cābulan, & eum cum ſuis omnibus interfecit. Sed & ipſe Arthurus grauiter vulneratus, ad ſananda vulnera ſua in Inſulam Auallonis perrexit, & Conſtantino cognato ſuo Brytanniam regendam dimiſit, anno ab incarnatione Domini quingenteſimo quadrageſimo ſecundo. Eadem complectitur Chronica Maridunēſis Cœnobij, in Demetica, auſtrali videlicet Cambriæ parte, quæ itidem habeo. Eadem & Chronica Cantuarienſis Eccleſiæ Metropolis Angliæ, vbi quamplurima huius Regni antiqua monumenta adſeruabantur, confirmant. Vbi

Meneuenſis Eccleſiæ Chronica.

Mors Arthuri.

& hoc quoque adſeueratur, in hiſtoria Regis Edouardi à conqueſtu primi, quod ipſe Rex, quum apud Caernaruon vrbem Venedotiæ ageret, poſt deuictum Ludouicum vltimum eius loci ex Brytannico ſcilicet iure Principem, Coronam Arthuri Regis, inter præcioſiſsimas res Principum Venedotorũ quos tum demùm ſubegerat, repererit, & inde plurimùm gauiſus, ſecum abſtulerit. Depingit item Leylandus noſter ſigillum ipſius Arthuri, quod VVeſtmonaſterij adſeruatur, tam commodè tamque appoſitè, vt id monumenti etſi materia ipſa caſu aliquo intereat, effigies tamen & forma illius nunquam ſit interitura. Deinde Giraldus Cambrenſis, homo ſui temporis non vulgariter doctus, affirmat ſe oſſa Arthuri contrectaſſe atque vidiſſe. Epitaphium ipſius in lamina plumbea inſcriptum legiſſe, modumque & occaſionem perquirendi exhumandique ea, libro quem ſcribit Diſtinctionum, cap. 18. fuſim explicat, cuius verba hîc interſerere operepræcium duxi, quia liber ille Giraldi non paſsim habetur à quibuſuis, necdum typis excuſus eſt, quemadmodum neque alia nonnulla huius Regni monumenta omnino indigna quæ pereant: Imò quædam quæ Regiæ maieſtatis plurimùm interſit vt perpetuò extent, nam pacta, conuenta, & ipſa Chirographa continent inter Angliæ, Scotiæ, & Francorum Reges, de rebus non mediocris momenti. Atque hæc igitur, etſi non tam vniuerſim venalia forent, quàm libri fortè alij, eos tamen expenſis Regiæ maieſtatis typis excudi conueniret. Opera inquam VVillielmi Malmesburienſis, Henrici Huntingdonenſis, Aluredi, Ioannis

Anglici, Henrici Houedenſis, ipſiuſque Giraldi, qui de rebus Hibernicis & Brytannicis plurima ſcripſit obſeruanda. Sed iam quæ de Arthuro habet Giraldus ipſe referamus. Regnante (inquit) noſtris in Anglia diebus Henrico ſecundo, contigit, vt apud Glaſconienſe Cœnobium, quondam nobile Sepulchrum Arthuri Regis Brytanniæ dicto Rege monente, & Abbate eiuſdem loci Henrico de Sayle (qui ad Cathedram VVigorniæ tranſlatus poſtea fuit) procurante, diligenter quæſitum, in Cœmeterio ſacro à Sancto Dunſtano dedicato, inter duas Pyramides altas & literatas in Arthuri memoriam olim erectas, multis laboribus effoderetur, & corpus eiuſdem in puluerem & oſſa redactum, ab imis ad auram & ſtatum digniorem transferreretur. Inuenta eſt in eodem Sepulchro, tricha muliebris flaua & formoſa miroque artificio conſerta & contricata, vxoris Arthuri, viro ibidem conſepultæ. Porrò quoniam de Rege Arthuro & eius exitio dubio multa referri ſolent, & fabuloſè confingi à Brytonum populis, ipſum adhuc viuere fatuè contendentibus, vt fabuloſis exufflatis, & veris ac certis aſſeueratis, veritas ipſa de cætero circa hæc liquidò pateat, quædam hîc adijcere curauimus indubitata veritate comperta. Poſt bellum de Kamlan apud Cornubiam, interfecto ibidem Mordredo proditore nequiſsimo, & Regni Brytanniæ cuſtodiæ ſuæ deputati, contra auunculum ſuum Arthurum occupatore, ipſoque Arthuro ibi lætaliter vulnerato, corpus eiuſdem in Inſulam Auallonlam, quę nunc Glaſconia dicitur, à nobili matrona quadam eiuſdem cognata

Giraldus.

gnata & Morgain le ſaye vocata, eſt delatum: quod poſtea defunctum, in dicto Cœmeterio ſacro, eadem procurante, ſepultum fuit. Propter hoc enim fabuloſi Brytones & eorum cantores fingere ſolebant, quod Dea quædam phantaſtica, ſcilicet Morganis dicta, corpus Arthuri in Inſulam detulit Auallonlam, ad eius vulnera ſananda. Quæ quum ſanata fuerint, redibit Rex fortis & potens ad Brytones regendum, vt dicunt, ſicut ſolet, propter quod ipſum expectant adhuc venturum, ſicut Iudæi Meſsiam ſuum, maiori fatuitate & infœlicitate ac infidelitate decepti. Notandum hîc autem, quòd Glaſconia dicta eſt Inſula, quoniam Mariſco profundo vndique eſt clauſa, quæ Mediamnis propriè diceretur, quaſi medijs ſcilicet amnibus ſita, ſicut melius Inſulæ dicuntur, quæ in ſalo, hoc eſt in mari ſitæ noſcuntur. Aualonia verò dicta eſt ab (Aual) brytannico verbo, quod pomum ſonat, quia ſolet locus pomis & pomerijs abundare, vel ab Auallone territorij illius quondam dominatore. Item ſolet antiquitùs locus ille Brytannicè dici (ynys vvydrin) hoc eſt Inſula vitrea, propter amnem ſcilicet quaſi vitrei coloris in mariſco circumfluentem, & ob hoc dicta eſt poſtmodũ à Saxonibus terram occupãtibus, lingua eorũ Glaſconia, Glas enim ſaxonicè vitrũ ſonat. Patet ex hijs igitur quare Inſula, & quare Auallonia & quare Glaſconia dicta, & hoc quoque quo pacto Dea phantaſtica Morganis à fabulatoribus nuncupata. Notãdum hîc etiam, quòd licet Abbas prænominatus aliquã habuerit, ad corpus Arthuri quęrendũ, ex ſcriptis antiquis & Chronicis notitiã, nonnullã quoq;

ex literis Pyramidum inſcriptis, quanquam antiquatis tamen & ferè omnino vetuſtate deletis, maximam habuit per dictum Regem Henricum ad hæc euidentiam, dixerat enim ei pluries, ſicut ex geſtis Brytonum & eorum cantoribus hiſtoricis Rex audierat, quod inter pyramides, quæ poſtmodum erectæ fuerant in ſacro Cœmeterio, ſepultus fuit Arthurus valde profundè, propter metum Saxonum, quos ipſe ſæpè expugnauerat, & ab Inſula Brytannica prorſus eiecerat, & quos Mordredus nepos eius peſsimus contra ipſum poſt reuocauerat, nè in mortuum etiam, vindicis animi vicio deſæuirent, qui totam iam Inſulam poſt mortem ipſius iterum occupare contenderant: Propter eundem etiam metum, in lapide quodam tanquam ad ſepulchrum à fodientibus inuento, quaſi ſeptem pedibus ſub terra, quum tamen ſepulchrum Arthuri nouem pedibus inferius inuentum fuerit, reperta fuerit crux plumbea, non ſuperiori ſed potius inferiori parte lapidis inſerta, literas has inſcriptas habens:

HIC IACET SEPVLTVS INCLITVS REX ARTHVRVS IN INSVLA AVALLONIA CVM WENEVERIA VXORE SVA SECVNDA.

Crucem autem hanc extractam è lapide, dicto Abbato Henrico oſtendente, perſpeximus, & literas has perlegimus. Sicut autem Crux inferius lapidi inſerta fuit, ſic & crucis eiuſdem pars literata, vt occultior eſſet, verſus lapidem verſa fuit, mira quidem induſtria, & hominum tempeſtatis illius exquiſita prudentia, qui corpus viri tanti, Dominique ſui, præcipuique loci illius patroni,

patroni, ratione turbacionis inſtantis, totis viribus tunc occultare volebant, & tum vt aliquo impoſterum tempore, tribulatione ceſſante, per literarum ſaltem cruci inſertarum & quãdoq; repertarum indicia propalari poſsit, procurarunt. Sicut dictus itaq; Rex totum Abbati prædixerat, ſic Arthuri corpus inuentum fuit, non in ſepulchro marmoreo, vt Regem decebat eximiũ, nõ in ſaxeo aut parij lapidibus execto, ſed potius in ligneo ex quercu ad hoc cauato, & ſexdecim pedibus aut pluribus in terra profũdo, propter feſtinam potiùs quã feſtiuam tanti principis humationẽ, tẽpore nimirũ turbationis vrgẽtis id exigẽte. Dictus autẽ Abbas corpore reperto, monitiſq; regis Henrici, Marmoreum ſepulchrum fieri fecit ei egregium, tanquam Patrono loci illius præcipuo, qui ſcilicet eccleſiam illam prę cęteris regni cũctis plus dilexerat, terriſq; largis & amplis locupletauerat. Ideoq; nõ immeritò, ſed iuſto quoq; dei iudicio, qui bona procul dubio cuncta, non ſolum in cœlis verumetiam in terris, ſiue in vita ſiue poſt mortem plerũq; remunerat, in cœnobiali demùm Eccleſia antiqua præ cęteris Regni totius & autentica, corpus Arthuri egregiè ſepultum fuit, & glorificè ſicut debuit & tantum virum decuit collocatum. Hactenus Giraldus. Quæ cùm ipſe ſtatim à re geſta diuulgauerit, nullo modo credendus eſt vana prodidiſſe, quin ſtatim refelleretur, nec tanti nominis viros mendacij alicuius teſtes citare auſum fuiſſe. Neq; mirum cuiquam videri debet, quòd tam reconditè ſepultus fuerit. Nam hoc idem & alios antehac in Ducum ſuorum gratiam quos mirificè amauerint, factitaſſe legimus

Arthurus Patronus Eccleſiæ Glaſconienſis.

mus. Siquidem Alaricum quondam Vandalorum Ducem extinctum, qui vrbem Romam Stilliconis proditione ſub Honorio Imperatore cæperit, ſui milites, ne effuſum cadauer hoſtes ludibrio haberent metuẽtes, alueo Buſſenti amnis mutato, excauatoq; ypogeo (ſic enim ſcribit Pomponius Lætus in vita Theodoſij magni) ſuo more congeſtis opibus ſepelierunt, & fluuium priſtino alueo immiſerunt: Et ne quis audiens Gweneueriam Arthuro conſepultam, putet eam fuiſſe quæ à nepote Arthuri Mordredo conſtuprata eſt, nouerint in Britannicis antiquitatibus contineri, Arthurum duxiſſe tres vxores omnes nomine Gweneuerias, primam cuiuſdam Goryti filiam, ſecundam Crediolo quodam prognatam, tertiam ex Gogourano cognomine Giganteo æditam, quùmq; Epitaphiũ ſupra dictum, Gweneueriæ vxoris ſuæ ſecundę mentionem faciat, ſubinnuere videbatur, non eam intelligendam quam tertio loco duxerit, quod & Epitaphium ab alio neſcio quo poſtea adiectum itidem ſubinnuere videtur, vbi inquit.

Hìc iacet Arthuri coniunx tumulata ſecunda,
Quæ meruit cœlos virtutum prole fæcunda.

Cumq; Leylandus quantumuis Antiquarius nuſquã legerit tot vxores Arthurũ habuiſſe cognomines, neq; crederet Arthurum aut eius amicos voluiſſe eam, quæ ipſum Arthurũ, & thori & regni iure ipſaq; vita ſpoliauerit, ſibi vnquam conſepeliri, ideò & ipſe Leylandus, & alij Brytannicæ linguæ ignari, multa comminiſcuntur incerta, quò videri poſſet credibile, ipſam Gweneueriam adulteram, ab alio quodam longè poſt

Arthuri

Arthuri exitum ad eius tumulum tranſlatam fuiſſe. Ex verbis vtriuſq; Epitaphij liquet, Arthurum ipſum duas habuiſſe vxores eaſq; Gvveneuerias nomine, alioquin ſuperfluum erat addere ſecundam, quùm ſatis ex nomine ipſo nota foret, ſi ſolam eius nominis duxiſſet. Tertiam verò habuiſſe cognominem, tum monumenta ipſa Britannica, quorum ſuperiùs memini, tum vel ipſa præſumptionis vehementia cõprobat, quum ſecundam adeò ſibi charam habuerit, vt eidem conſepeliri lubens voluerit, quod de vltima ipſius vxore quidem adultera, nullo modo credendũ eſt. Sed vt ſemel finiam rem iam ſatis ſuperq; tot teſtibus confirmatam, atq; à Leylando iam dicto abũdè comprobatam, vt nihil ſupra deſiderari poſsit. Atq; huius quidem Arthuri tot auſim dicere (neſcio quo fato) adhuc extare monumenta, quot de nullo alio vix produci poſsint. Cuius enim à tot annis extincti Sepulchrũ, oſsa ipſa, Epitaphiũ hæc atteſtans, Sigillũ, Singrapha deniq; ipſa, præter innumeros literatos teſtes, & hiſtoriographos, non exteros quidẽ ſed domeſticos ideoq; locupletiores, mihi proferri poſsint? Si eos quidẽ illuſtres viros omnes, de quibus tot tãtaq; proferri teſtimonia aut monumẽta non poterũt, è rerũ penitus memoria tollantur, ingentẽ profecto nobiliũ virorũ turbam, magna antiquitatis iactura, prorſus ſublatã iri oportet. Idq; ob vnius (ſi dijs placet) leuiculi ſcriptoris ſilẽtiũ. Gildę ſcilicet: Nam reliquorũ, ab hoc vno dimanauit error omnis, de quo poſtea fuſiùs. Cęterũ vt recẽtiores quidã, ſua facundia, cęteris perſuadeant ſcriptoribus de Arthuro ſilêre, nũquã tã gloriosã ipſius memoriã iam

inde ab eius exceſſu viciſsim veluti per manus traditā atq; acceptam, ex vulgi ipſius ore excutient, quin perpetuò virtutum ſuarum immortalium ergô decantetur & celebretur. Et quanquā multa, vulgaribus quidem illis præconijs prædicentur incredibilia, non eſt tamen vllo modo credendum, tam memorabilia de quoquam vbiq; ab omnibus & ſemper ab eius tempeſtate decantari, ſi aut nullus fuiſſet, aut minus illuſtris vir de quo talia effingerētur. Imò hoc ipſum vel maximè comprobare videtur Arthurum ipſum tātæ fortitudinis, magnificentiæ, & induſtriæ fuiſſe virum, vt eum ipſum præ cæteris omnibus quaſi virtutum omnium exemplar ſibi ad imitandum, homines generoſi animi omnes delegerint, adeò vt nullū virtutis genus eſſe crederent, quod in ipſum non deceret conferri. Huiuſmodi eſt quod Zenophon de Cyro rege Perſarum effingendo, citra nephas aliquod commentus eſt. Hoc ipſum ſpectabant & recentiores, qui de Marco Aurelio Imperatore hiſtoriæ ſpeciem excogitarūt, eos ſibi nimirum deligentes depingendos, quibus cum decoro aliquo ea tribuere maximè poſſent, quæ optimis Principibus ineſſe conueniret. Deniq; vt homines ipſi de Arthuro ſileant, inclamabunt ſaltem montes, ſaxa, & rupes huius Regionis, ipſius perpetuò nomē, adeò virtutis omnis comes tam indiuulſa eſt gloria. Teſtatur Giraldus ſæpè dictus ſuo (ὁδοιπορικον) Cambriæ libello, vel ſuis temporibus, nempè ante annos quadringentos, in Brechonia montem ibi ſublimem Arthuri nomine, vallemq; inter ipſum mōtem & alium ex modico interſtitio aduerſum, Cathedram Arthuri appel-

Cyropoedia Zenophontis.

appellari. Id quod ego verum eſſe ſcio, nempe ad radicem montis eius, nempè in Bræchonia vrbe natus & educatus. Quid de porta Arthuriana apud montem Gomerici in finibus Cambriæ, de quo Leylandus. Eſt prætereà Saxum ingens alijs minoribus ſuffultum atq; penſile in ſummitate collis, qui medius eſt inter Herefordiam (quæ nunc mihi adoptiua eſt patria, ideoq; chariſsima) & Brechoniam ipſam, quod Arthuri Saxum vulgò appellant. Sunt & alia paſsim in finibus VValliæ ſexcenta huiuſmodi loca & Rupes, quibus Arthuri nomen inditum eſt iam olim, quæ vt duratiora ſunt ipſa materia, ſic & diuturnius cæteris manufactis monumentis, nomen Arthuri conſeruabunt. Et quia & ipſis Poetarum carminibus ſuus ineſt genius nunquam interiturus, libet hîc adijcere carmina quædam Thalieſsino noſtro vati inſcripta, de hoc Arthuro noſtro compoſita, quæ ſunt hæc.

Inſula Pomorum quæ Fortunata vocatur,
Ex re nomen habet, quia per ſe ſingula profert.

Et poſt aliqua hæc ſubſequuntur.

Illuc poſt bellum Camblani vulnere læſum
Duximus Arthurum nos conducente Barincho,
Aequora cui fuerant & cœli ſidera nota.
Hoc rectore ratis cum Principe venimus illùc,
Et nos quo decuit, Morgain ſuſcepit honore,
Inq; ſuis thalamis poſuit ſuper aurea regem
Fulchra, manuq; ſibi detexit vulnus honeſta:
Inſpexitq; diu, tandemq; redire ſalutem
Poſſe ſibi dixit, ſi ſecum tempore longo
Eſſet, & ipſius vellet medicamine fungi.

Gaudentes igitur regem commiſimus illi,
Et dedimus ventis redeundo vela ſecundis.

Item Ioannes Auuellanus poëta non inelegans hæc de Arthuro in ſuo libello quem Architremium inſcribit, habet carmina:

De orbiculari menſa.

Arthurus teretis menſæ genuina venuſtas
A Ramo phrigijs dandi non vnda ſed æquor.

Vbi adnotandum eſt, & non temerè colligendum, vt quēadmodū ipſe Arthurus primus orbicularis menſæ ſodalitijq; ex ſelectiſsimis viris ſub eo nomine coacti, quod Principi viro multū amicitiæ ſubſidijq; parare ſolet, ſi excellentes viros vndiq; conquirat, & eiuſmodi comitatis & intimi ſodalicij vinculo tam arctè ſibi coniungat, vt quācunq; vni ex eo ſodalitio iniuriā oblatam ſenſerint, hanc ſibi quiſq; intentatā arbitretur, ita eundem morem inde in hæc noſtra tempora à principibus viris vſurpatum fuiſſe crediderim, vt ſodalitia conſimilia ſibi peculiaria inſtituerint. Quale eſt Gartherij ordinis apud noſtrū, Aurei quidē velleris apud Carolum quintū nūc Imperatorē Alemaniæ, aliudq; eius generis apud regem Gallorū. Si non ab Arthuro hoc moris primùm emanauerit, oſtendat mihi quis, à quo iam alio? Legitur quidē in Brytannicis monumētis, nullū ab Arthuro in ſodalitium ſuæ teretis menſæ aſcitum fuiſſe, niſi quem aliqua virtus præclara, eximium præ cæteris & inſignē redderet, ſiue ob bellicam virtutem, ſiue ob eius prudentiā eximiam, ſiue ob eloquentiæ ſuauitatem, atq; in legationibus conficiundis miram dexteritatē, ſiue ob liberalitatē ſummā & benignitatem, qua homines in ſui amorem dictoq; audientes

entes eſſe citra vim aliquã alliceret. Quorum virorũ præſidio fretus, talia feciſſe credendus eſt, qualia de eo narrantur (fabulas autẽ voluptatis ergô confictas excipio) vnde in nouẽ illorũ Heroum quos pares vocãt, collegium, omniũ conſenſu atq; ſuffragijs iam olim aſcriptus eſt. E quibus nullũ exemptum video, præter vnicum noſtrũ Arthurũ, neſcio quo fato, aut maleuolentia. Nec leue id putet quiſquam, quod à vulgo talia iactentur, nunquã ego ſanè crediderim, etiamſi nulla de eo extarent literarũ monumẽta, vt in tam cõſpicuo, excelſo & famigerato cõſtitueretur loco, quiſquã mediocris virtutis homo, multo minus vmbra aliqua vel ſompniũ (vt ita dicã) hominis, qui nuſquã fuerit. Atq; hanc famæ celebritatẽ non vltimis noſtris temporibus de Arthuro exortam, neq; noſtram hanc Inſulam vſq; adeò virorum fortium ſterilẽ, atq; à Polydoro noſtræ gentis ſcilicet Encomiaſte cenſetur, teſtis eſt Ioſephus noſtræ gentis Poëta (vt mihi quidem videtur omnino indignus, qui à publica ędítione ſupprimatur) in opere quod Antiocheida inſcripſit. Cuius quidem carmina etſi à Leylando noſtro iam ſciam in ſuo de Arthuri aſſertione libello adſcripta, libet hijs denuo adijcere, cùm ob eorum venuſtatem & elegantiam, quibus vel bis repetita placere debent, tùm vt rei de qua agimus ſuffragentur. Hæc itaq; ſunt.

Inclita fulſit
Poſteribus ducibus tantis, tot diues alumpnis,
Tot fœcunda viris, premerent qui viribus orbem,
Et fama veteres: hinc Conſtantinus adeptus
Imperium Romam tenuit, Byzantion auxit.

Hinc Senonum ductor captiua Brennius vrbe
Romuleas domuit flammis victricibus arces.
Scæua forte leg. Hinc & ſæua ſatus pars non obſcura tumultus
Ciuilis, magnum ſolus qui mole ſoluta
Obſedit, meliorque ſtetit pro Cæſare murus.
Hinc celebri fato fœlici claruit ortu
Flos regum Arthurus, cuius cum facta ſtupori
Non micuere minus, totus quod in aure voluptas
Et populo plaudente fauus. Quæcunque priorum
Inſpice Pelæum commendat fama Tyrannum:
Pagina Cæſareos loquitur Romana triumphos,
Alcidem domitis attollit gloria monſtris,
Sed nec pynetum corili, nec ſidera ſolem
Aequant: Annales Latios Graiosq; reuolue.
Priſca parem neſcit, æqualem poſtera nullum
Exhibitura dies. Reges ſupereminet omnes
Solus, præteritis melior, maiorque futuris.

Eant nunc Arthuromaſtiges iſti, & dicant tam glorioſa tamq; memoranda à doctis viris (ne dicam imperito vulgo) de Arthuro temerè deprædicari. Nemo ſanè erit æquus rerum æſtimator qui id vnquam exiſtimauerit. Quare de eo hæc dicta ſufficiant. Pauca verò de Gildæ ſilentio, quod vnicum in Arthuriani nominis internicionem argumentum adducunt aduerſarij, nempe à quo reliqui errorem hunc omnem hauſiſſe videntur, ſubijcere dignum exiſtimaui, quo omnes demùm perſpiciant quàm parui momenti id fuerit, ad euertenda tot illuſtria de Arthuro monumenta.

Proba-

Probabiles coniecturæ, cur Gildas quem Polydorus nuper typis excudendum curauit, Arthurum ſilentio prætermiſerit.

ETſi primùm quis nõ omnino temerè dubitauerit, an libellus iſte Gildam authorem habuerit necne, partim quòd Brytãnica vocabula malè reddit, partim quod quinque Reges Brytannorum ceu vno & eodem pariter tempore regnantes, ſimulque ſuperſtites alloquitur. Nempè Conſtantinum, A. Conanum, Vortiporium, Cuneglaſium qui Cunedagius, & Maglocunum qui Mailgocunus diceretur, hos enim coarguit, increpat, & hortatur, vt in melius reſipiſcant. Quod fruſtra eſſet iam mortuis dictum, quando omnis Brytannica hiſtoria & antiquitas, hos ſibi inuicem ſucceſsiſſe, nec vno ſimul tempore rerum vnquam potitos eſſe conſtanter aſſeueret: vt ne quid interim de tam craſſa huius ſcriptoris, quam in rebus Brytannicis præ ſe fert ignorantia, commemorem, vt proximi ante ſe Regis Gvvorthigerni ac Vortimeri eius filij ſtrenuiſsimi, cuius bella fortiter geſta, VVillielmus Malmesburienſis & alij recenſent, & ſimilium quantumuis illuſtrium & famigeratorum Principum nomina prorſus reticuerit, quaſi eorum eſſet ignarus, quæ Gildam hominem Brytannum latêre nullo modo poſſent:

Nec illius Gildæ opus eſſe facilè crediderim, qui res Britannicas iuſto volumine illuſtraſſe, ſingulos etiam, de legibus Molmutinis, de laudibus Aurelij Ambroſij, de vitis nonnullorum diuorum Brytanniæ, libros ſcripſiſſe, à veteribus paſsim prædicatur. Nam quàm parum præſtat in hoc qui typis excuſus eſt à Polydoro libello, Brytonum hiſtoriam, quam à Gilda conſcriptã fuiſſe omnes proclamant, vel ipſo Polydoro teſte, ſatis conſtat. Prętereà quamplurima in hoc deſiderãtur, quę à nonnullis hiſtoricis antiquioribus ex Gilda citantur. Deinde tantopere eloquẽtiam affectat huius libelli author, vt glorioſuli cuiuſdam opus potius quàm alicuius modeſti viri, qualis fuiſſe Gildas perhibetur, videri poſsit: Ad hæc tam anxiè probroſa omnia conquirit, tam diſsimulanter laudabilia quæq; huius Inſulę tranſilit, ac vt in his eleuandis, ſic in illis modis omnibus exaggerãdis, omnes ingenij & loquentiæ ſuæ (ſic enim aptiùs dixerim quam eloquentiæ) neruos intendit, vt nullam prorſus hiſtoriæ ſpeciẽ, quin potius vituperationem gentis Brytannicæ, ſtudio adhibito, inſtituiſſe videretur. Hinc eſt quod quę à Porphyrio illo hęreſiarcha, ſi huic credendum eſt accepta, & ad D. Hieronimi Pelagij Brytanni, in quem ſcribebat, odium detorta acceperat, ceu vulgò iam decantata in terræ huius probrũ eiaculatur. Nempè quod fertilis ſit prouincia Tyrannorum &c. Eiuſmodi & illud eſt quod à Iulio Cęſare in quoſdam milites ignauos ſub ſe merentes dictum, quos quia neque bello fortes, neque pace bonos, aut vtiles comperErat militia, à ſe miſſos fuiſſe in Commẽtarijs ſuis commemorat, hoc eiſdem penè verbis in gentem Brytannicam detorquet. Hæc inquam tam an-

xiè conquiſita, & tam iniquè detorta, me diu eò inclinarunt, vt Gildæ hoc opus neutiquam fore crederem. Quando illa quidem ab hoc prætermiſſa, ignorare nullo modo potuerit Gildas, nec tam maleuolus eſſe in Brytannos mihi quiſquam crederetur, vt hæc tam manifeſta, aut diſsimularet, aut tam odioſa de hijs & tam vana vllo modo prædicaret. Atque vt nonnulla ex hoc libro ſub Gildæ nomine tum à D. Beda, tum à Gaufredo ipſo, & alijs citata comperi, quod Gildæ nomen hunc libellum vel iam olim circumtuliſſe comprobat, ſic & alia ſub Gildæ nomine quamplurima à ſcriptoribus nonnullis citata reperi, quæ in hoc Gildæ libello non continentur. Hæc dum (fateor) anxium me & dubium diu tenerent, quis author huius libelli foret, ac ſatis ſuperq; exploratum nihilominus haberem talia non ab alio, quàm qui Brytannis infeſtiſsimus eſſet profecta eſſe, commodè occurrebat Giraldus Cambrenſis ſæpè dictus, & quidam alij rerum Brytannicarum ſcriptores antiqui, qui vno ore omnes adſeuerant, Gildam ob cædē fratris ſui Hoëli ſiue Huelini, ſic enim à Brytannis dicebatur, ab Arthuro perpetratam, eidem tam infeſtum fuiſſe, vt quæ prius de Arthuro laudanda ſcripſerat, poſt fratris cædem ſuppreſsiſſe, & quoad maximè potuerit, eius famæ & gloriæ derogaſſe. Hoc non commentus eſt aliquis Recentiorum, quippè ante quadringentos annos exactos, iam dictus Giraldus huius rei meminit, qui vetus eſſe vel tum temporis inter Brytannos hoc dictum atteſtatur. Hoëlum ſiue Huelinum ipſum fuiſſe Gildæ fratrem, antiquiſsimæ apud eos Genealogiæ atteſtantur, quodque

Arthurus

Arthurus iam dictum Hoëlum ſiue Huelinum occiderit, & antiquiſsima Brytannicè ſcripta monumenta, & latinè nonnulla alia videlicet, quæ de vita ipſius Gildæ habentur, comprobant. Atque in libro Chronicorum Glaſconiæ hoc ipſum legiſſe memini. Extat item adhuc locus in Venedotia, qui cædis huius memoriam adhuc retinet, lapidemque ingentem nomen huius Huelini præferentem habet erectum, vt mos erat antiquis, ad huiuſmodi rerum memoriam perpetuendam. Verùm quæcumque tandem cauſa fuerit, ſanè vel odio vel ſtudio aliquo inſigni Brytãnorum nomen perſtringendi, huius libelli ſcriptorem, quiſquis fuerit, adductum fuiſſe conſtat, neque quicquam minus ſibi propoſuiſſe, quàm hiſtoriam aliquam Gentis componere. Tamen ſi non aliorum quoque recẽtiorum Principum nomina huius libelli Author iuxta ac Arthuri nomen reticuiſſet, ſcrupulus fortè aliquis ſuſpicacibus adhuc inſidere potuiſſet, vt crederent hunc non exempturum Arthuri nomen è Regum Catalogo Brytannorum, quãtumlibet ei inuiſum, ſed & Gvvorthigernum, qui proximè Aurelium Ambroſium præcedebat, quem nemo vnquam inficiatus eſt huius Inſulæ gubernacula tenuiſſe, quique ob introductos primùm Saxones pluſquam famoſus erat, penitùs omittit. Niſi quod ſub Tyranni nomine eum ſubinnuere, & ex corruptis moribus deliniare videtur. Vt taceam priores retro Principes omnes, quos vel Brytannorum vel Latina hiſtoria commemorabat, imò memoria adhuc vigens hominum recolebat. Quod ſi eos ænigmaticè & obſcuro ſermone innuiſſe aliquibus ſatis videbitur, nec quæ

circa Arthurum geſta fuêre, videtur eo modo intacta reliquiſſe, etſi inuolucris quibuſdam ea obtexerit, vt non niſi cum hiſtoria Brytonum collata facilè intelligatur. Et vt id lector dilucidiùs intelligat ab ipſa Aurelij Ambroſij mentione, eius verba ſunt penſiculanda. Ait enim ſic: Ne ad internitionem vſq; delerentur, duce Aurelio Ambroſio, qui ſolus fortè Romanæ gentis tantæ colliſioni, occiſis in eadẽ parentibus, purpura nimirum indutus ſuperfuerat, cuius nunc tẽporibus noſtris ſoboles auita bonitate degenerauit. Hoc enim cõuenit cum hiſtoria vulgata, quòd Conſtantius pater Ambroſij & Vtheri, dolo Saxonũ occiſus fuerit, quódque illi poſt patris obitum in Armoricam Brytanniam metu Gvvorthigerni Tyranni, qui fratrẽ eorum Conſtantem paulò poſt vita & regno priuauit, tranſmiſsi fuerint. Deinde belli Badonici mentionem facit, quod ſub Arthuri auſpicijs geſtum fuiſſe, ſuperiùs abundè (vt arbitror) oſtendimus. Huic ſubiungit. At illis decedentibus, cùm ſucceſsiſſet ætas tẽpeſtatis illius neſcia, & præſentis tantum ſerenitatis non expers, ita cuncta veritatis ac iuſticiæ moderamina concuſſa atq; ſubuerſa, vt earum ne dicam veſtigium, ſed ne monumentum quidem in ſupradictis ordinibus appareat: Hinc liquet ætatem hîc interueniſſe à quiete primùm parta ab Aurelio Ambroſio, imò priſtinæ tempeſtatis neſciam in eauſque tẽpora, quæ iam præ obliuione, priorum malorum corrupta, adſeuerat, quod tempore Aurelij Ambroſij contingere non potuit. Nam ipſe non diu Regia dignitate potitus eſt. Quare tam longã quietem & trãquillitatem tempore ipſius cæptam, & per Vtheri eius

fratris, atq; Arthuri tẽpora protractam, ſubintelligere videtur, vt ætatem prioris tempeſtatis neſciam, interea ſucceſsiſſe dicat, quod cum ratione tẽporum in Brytannica hiſtoria ſubducta conuenire videtur. Nam Saxones primùm à Vortigerno inuitati Inſulam hanc adierunt, ſub annum Domini quadringẽteſimum quadrageſimum nonum, ac non longè poſt, idem Aurelius regnum arripiẽs, Gvvorthigernum ſolio deturbat regio, & paulò poſt Hengiſto Saxonum Duce bello à ſe occiſo, & ipſe Aurelius apud ſuperos eſſe deſijt. Cui Vtherus frater ſucceſsit, atque huic Arthurus eius filius, qui in bello de Cãblan, lætali accepto vulnere occubuit, anno Domini iuxta ſupputationem eorum qui hac de re ſcripſère. 542. Poſt quem ſucceſsit Conſtantinus, quem hic Gildas immũdæ Leenæ Dannoniæ tyrannicum catulum appellat. Filius enim Cadoris Ducis Dannoniæ (quæ nunc Cornubia dicitur) in hiſtoria Brytannica perhibetur. Vide nunc igitur, candide Lector, quãtum interſit à Gvvorthigerni tempore, quem Ambroſius ſubegit, vſque ad hunc Conſtantinum, & facilè colliges, non poſſe bellum Badonici montis, quo anno ſe hic Gildas natum dicit, in tempora illius Ambroſij incidere, cùm Gildas ſe eo natum anno dicat, & de hoc Conſtantino, Conano, Vortiporio, & Mailgono, qui poſt Ambroſium ſucceſſère mentionem faciat. Mailgonus autem circa annum Domini quingenteſimum quinquageſimum floruiſſe dignoſcitur, quem Gildas circa annum Domini quingenteſimum nonageſimum mortem obijſſe teſtatur. Demus fuiſſe illum nonagenarium quum obiret, tunc obſidionem montis

Bado-

Badonici in annum Domini quingenteſimum incidiſſe oporteret, quod poſt quinquaginta annos à Gvvorthigerno fuiſſe neceſſum eſſet, in quod vſq; tẽpus, Aurelium Ambroſiũ qui proximè Gvvorthigerno ſucceſsit, non produxiſſe ſuum regnũ liquet, verùm in Arthuri tẽpora hoc belli incidiſſe, ex temporum ſupputatione iam memorata, cõmodè intelligitur: Hinc pergit Gildas iſte in Reges illius tẽporis infeſto ſtili mucrone inuehi, quos Tyrannos appellat: Belligerãtes (inquit) ſed ciuilia & iniuſta bella gerentes: quum hoc fruſtra dictum eſſet, ſi inter Ambroſium & Conſtantinum nulli prorſus interceſsiſſent Reges: & mox notam periurij huic Conſtantino inurens, hæc ſubdit. Cuius tam nephandi piaculi non ignarus immundæ Leenæ tyrãnicus catulus Conſtantinus, qui hoc anno poſt horribile iuramenti ſacramentum, quo ſe deuinxit, nequaquam dolos ciuibus, Deo primùm iureq; iurando, ſanctorum demùm choris & genitrice comitãtibus facturum, in duabus venerandis matrum ſinibus eccleſiæq; carnalis, ſub ſancto Abbate Amphibalo, latera regiorũ tenerrima puerorũ vel pręcordia crudeliter duum, totidéq; nutritorũ, inter ipſa (vt dixi) ſacroſancta altaria, nephando enſe haſtaque pro dentibus lacerauit. Hæc quidem de filijs Mordredi proditoris dicta voluit, cui Archurus bello externo euocatus, curam Regni totius commiſerat, & rediens, bellum ſupremum in loco qui dicitur Camlan, vt proditori ſceleſtiſsimo vnà cum Saxonibus rebellanti intulit, quo & ipſe Arthurus occidit, & dictum proditorem contrucidauit. Cuius quidem duos filios vt maioris mali ſegetem, pa-

ternæq; perfidiæ germina, atq; nouos iam motus molientes, Conſtātinus iam dictus, Arthuri nepos & ſucceſſor neci dedit, alterum VVintoniæ, alterum Lōdini in ipſis ſacris ędibus, quo, à bello infœliciter geſto ſalutis cauſa confugerant. Atq; hos regios pueros appellare non veretur Gildas hic noſter, quos proditoris illius ſceleſtiſsimi liberos non ignorabat, & eoſdē mox ſingularis in re militari virtutis viros prædicat, ſic inquiens. Quorum brachia nequaquā armis, quæ nullus penè hominum fortiùs hoc eis tempore tractabat, ſed Deo &c. Vnde liquet hūc Rhetorem cōmiſerationem hominum vndequaque aucupari, primùm ex eo quod pueri eſſent, deindè mox à contrario, videlicet, quod tam excellentes fuerint in armis tractādis, quę quomodo ſimul conſtare poſsint non video, vt & pueri, & tam armorum tractandorū periti eſſe ſimul poſſent. Nōnè hinc ſe propēſiorem oſtendit libelli huius author quiſquis fuerit, in Mordredi illi⁹ proditoris factionē, quàm ipſius Arthuri & eius ſequacium? Quod non omnino vanum eſſe, quod de ipſo Brytannica monumenta atteſtantur, videlicet ipſum Arthuro infeſtum reddidiſſe, fratris ſui Hoëli ab Arthuro illatā necem. Inde in Aurelium Conanum, tum in Vortiporiū, hinc in Cuneglaſium (quem Cunedagium legēdum arbitror) & poſtremò in Maglocunium, qui Mailgo diceretur cognomēto Venedotus, acerrimè inuehitur, nec id quidē fateor ab re, ſic & vulgaris hiſtoria ex his quoſdā vt ciuiliū bellorū incentores atq; adulteros taxat, atq; huic poſtremo Sodomiticæ nequitiæ infamiā impingit perinde atq; ille. Atq; vt huius libelli author hūc Mailgonem

nem Inſularũ appellat Draconem, & multorũ Tyrannorum depreſſorē, ſic & Brytãnica hiſtoria atteſtatur, hũc Inſulanos regulos omnes quos Arthurus priùs ſubegerat, facere imperata coegiſſe. Verùm hęc omnia ab hoc Gilda tã ſuccinctè perſtringuntur, vt niſi ab hiſtoria vulgata illuſtrarentur, ænigmata potiùs quàm aliquam hiſtoriæ ſpeciem referre viderentur. Deinde vt nihil minus quàm hiſtoriam concinnare exiſtimetur, nè vllam quidem temporis rationem, quo aliquid à ſe memoratum geſtum ſit, in hoc libello ſubductam aut annotatam eſſe conſtat. Quare vt quod mitius eſt de hoc ſentiamus, Gildáq; ipſum fuiſſe concedamus, hoc ſolum in libello iſto ſibi propoſuiſſe videtur, vt Brytannos ſuos vel pudore ſaltem ſuffuſos reſipiſſere velle exiſtimaret, ſi eorum vituperanda potiùs omnia collegiſſet, atq; ob oculos poneret, quàm ſi aliqua laude digna, quæ vel ipſi vel eorum anteceſſores geſsêre, intermiſcuiſſet. Ideò eos partìm omni probrorum genere obruit, partìm diuinis oraculis procellit, vt nihil ſuſpicari libeat eorum illũ odio aliquo deprompſiſſe. Sanè id ad liquidum conſtat, quacunq; motus fuerit tandem occaſione, quod vituperanda ſolùm coacernauerit, & laudabilia gentis (data opera) tranſiluerit, quod paſsim ex ipſiuſmet verbis colligere licet. Nam in Prohemio hæc habet. Quia non tam fortiſsimorũ militum enuntiare trucis belli pericula mihi ſtatutum eſt, quàm deſidioſorum Huiuſmodi eſt, quód ait Romanos imbellem populum non tam ferro, igni aut machinis vt alias gentes, quàm ſolis minis, vel indiciorũ concuſsionibus ſubiugaſſe ait. Deinde quàm nullo

negotio rebellantes compeſcuerint, relinquentes quoſdam præpoſitos indigenarum dorſis maſtigias, ceruicibus iugum, ita vt non tam militari manu quàm flagris callidam gentem macerauerint. Quæ, quàm longè à veritate ipſa diſsideant, vel Romanis ipſis teſtibus liquet, tum Cæſare ipſo, tum Cornelio Tacito hiſtorico ſanè fideliſsimo, hij non tam facilè gentem Brytannicam ſubactam affirmare audent. Deinde obſeruet lector velim, vt Caſsibellauni, Aruiragi, Cinobelini, & Conſtantini magni, & aliorum quos in Inſula natos Romana teſtatur hiſtoria, nullam penitus mentionem facit. Etſi prius illa in medium ſe proferre conaturum polliceretur, quæ temporibus Romanorũ Imperatorum & paſſa ſit hæc Inſula, & alijs intulerit ciuibus & longè poſitis mala, at quàm parum id præſtiterit, facile cuiuis, vel Romanos ſcriptores modicè guſtanti erit iam perſpectum. Ita vt non Immeritò illud Horatianum hîc ei ſuccinere liceat. Quid feret hic tanto dignum promiſſor hiatu. Et quamuis hic ſcriptor fateatur Brytannos omni armato milite, militaribus copijs, ingentique iuuentute à Maximo Tyranno ſpoliatos, æreque & commodis omnibus exutos, nulloſq; Rectores habuiſſe prẹter Romanos, qui eos ad viuum vſque corradebant, tamen illis vitio dare non erubeſcit, quod ſuis ipſorum viribus abſque Romanorum ſubſidio Scotos & Pictos ab iniurijs eis inferendis non propulſauerint. Cùmque à regum illorum, quos vel Romana perſonat hiſtoria, vel memoria adhuc recens nondum obliuionis iniuriam ſubire ſinebat, nomina ſubticuerit, nec temporis ali-

aliquam rationem iniuerit, quo ea quæ commemorat gererentur, nec quicquam præter quòd gentem Brytannicam vellicare videretur congeſſerit. Nemo reor hunc, quiſquis fuerit, arbitrabitur hiſtoriam gentis, hac veluti declamatione, ſiue potius inuectiua condere voluiſſe. Sed quòd in hominum vitia quæ tunc maximè vigebant, tam acriter inuectus ſit, quodque ob eadem, regnum Brytannicum à gente noſtra in aliam transferri prædixerit, & hijs ego facile ſubſcripſerim. Nam & veterum noſtrorum ſcripta id quoq; clarè docent, quod ob quatuor potiſsimum res, regnum ab eis Deus Regnorum omnium moderator tranſtulerit: Primum, videlicet ob Principum ſuorum ſuperbiã, dum quiſq; ſibi primatum arrogaret, nullo cedente alio in principatu. Ita vt ea propter, mutuis ſe cædibus detererent & affligerent. Vnde omniũ rex, primatũ ab eis omnem tranſtulit: Et ob Prælatorum & miniſtrorũ eccleſiaſticorũ deſidiam, torporẽ, & obmuteſcentiam in non corripiendis & caſtigandis nobilium erratis, præ timore magis hominũ quàm Dei, atq; èo quòd primores populi in ſuis peccatis computreſcere, abſq; aliqua admonitione aut libera correptione, prętimore amiſsionis terrenorum commodorum paſsi fuerint. Quare Deus ab illis meritò honorem omnem ſuſtulit, & ignobiles deſpectoſque reddidit. Tertiò ob auaritiam & iniuſticiam Iudicum ſuorum & officialium, qui rectè ac iuſtè pro merito cauſarum, non autem partium aut commodi alicuius reſpectu iudicare obnoxij, econtra verò facientes, muneribus ac donis corrupti, pro hijs qui plura

largie-

largiebantur, iudicabant, vtcunq; ſe res haberet iuſta nè an iniqua: quare Deus à quo poteſtas eſt omnis, eos omni poteſtate priuauit, nè in aliquos vltrà iudicandi ius haberent. Quartò ob peccata & ſcelera improboſq; mores plebis & populi, nempè latrocinia, violētiam, luxuriam, & in ſanguine fundendo promtitudinem, omnem principatum ab hac gente tranſtulerit, fatentur qui quicquam ſapere inter eos viſi ſunt. Vnde in Eccleſiaſtico habetur, quod regnum à gente in gentem transferetur, propter iniuſtitiam & contumelias & diuerſos dolos. Hæc inquam à noſtris ſcriptoribus Britannicis ingenuè agnoſcuntur, nec communicipes meos poſt tam diutinam manifeſtamq; dei vltionem in eos irrogatam, vel iam nunc tam benè compoſitis eſſe moribus agnoſco, quàm ipſe ſummo meo diſpendio maximè optarim. Manent enim inter eos veſtigia imò indicia manifeſta horum ſcelerum, quæ ſuperiùs ſunt memorata, adeò vt eorum æmuli hæc ipſis velut innata peculiariaq;, eſſe vitia arbitrentur. Nempè latrocinium, luxuriam, fideiq; non tantum verbis, verùm & Iureiurando firmatæ lubricitatem & inconſtantiam, primorumq; inter eos virorum direptionem & expilationem tam receptam & tritam, vt plebs ſic deſpoliari tandem aſſueta, vel regio in aduerſum fulta patrocinio, à talibus largitionibus & expilationibus nondum poſsint vindicari. Tantì enim vel ad ſeruitutem perpetuandam valet diuturna rei conſuetudo. Hactenus tamen iurè forſan cauſari potuimus non naturæ vitio, verùm ex diuturna bellorū, tumultuum & ſeditionū perturbatione, quæ à multis

retro

retro ſeculis in hæc poſteriora ferè tempora inter noſtrates durauêre, hęc vitia velut huiuſmodi rerum motus & perturbationis germina, inter eos pullulaſſe. Nũc verò poſtquam & à bellis & tumultibus huiuſmodi, alta quies, legumque cum cæteris regni huius municipibus ſumma æqualitas, parque omnibus libertas nobis maximè diuino beneficio prouenerũt, quum Henricus eius nominis ſeptimus verus nobis & natiuus cõtigit rerum moderator, tum etiam ex quo Hẽricus eius nominis octauus, nos multis anteà ſeruitutibus preſſos, in legis ſuę æqualitatem paremque libertatem cum cæteris huius terræ municipibus aſciuit: Si à vitijs iam dictis poſthac nos non continuerimus, non video quid vltra cauſari poterimus, præter innatam nobis ipſis & ingenitam præ cæteris gentibus malignitatem. Quare id probri à contribulibus meis chariſsimis amotũ ſummopere cuperem, & votis omnibus exoptarem, ne bonos iuxta ac malos hęc contumelia velut gentile quoddam probrum inuoluere videatur. Cæterum, vt hæc nullo naturæ vitio, quam Deus arbitrio noſtro creauit moderandam, ſed noſtro prauo inſtituto vitioſaque liberorum noſtrorum educatione prouenire ſciant noſtrates: Videant & obſeruent quotuſquiſq; ex noſtris, qui extra natale ſolum, ſi in literarum ſtudijs ſiue in bonorum virorum familijs primam triuere ætatem, hijs vitijs quæ nobis veluti peculiaria tribuunt, ſit magis obnoxius quàm gentis alterius quiuis. Quare nullam hinc vel à temporis calamitate, vel à naturæ vitio, noſtrates excuſationem ſuis erratis prætendere velim. In ſeipſos omnem culpam neceſſe eſt tranſ-

ferant, ſi hæc vitiorum portenta vltra ſectari perrexerint. Scio ad latrocinium exercendum quædam ex oportunitate loci ibi magìs quàm aliàs fore incitamenta. Nempè animalia palantia & vaga custodibus aut paſtoribus deſtituta, terræ ſolitudinem & vaſtitatem nullis ſepibus aut limitibus interruptam, & inueſtigandi abacta difficultatem, propterea magnam iſta (fateor) præbent maleficis furandi oportunitatem: Sed non vſque adeò tantam, quin partìm recta Iuuenum educatione & inſtitutione à parentibus tolli, partìm ab eorum primoribus qui muneribus publicis inter eos præſunt, ſi eò ſedulam operam darent, corrigi poſsit. Si vel illi ſuos liberos à teneris (vt aiunt) vnguiculis honeſto aliquo artificio imbuerent, & quos apud ſe commodè alere aut huiuſmodi exercitio inſuefacere non poſſent, vnde ſibi victum grandiore ætate comparare poſsint, aliò amandarent ad obſequium aliquod neceſſarium obeundum, vel hi tales furunculos ſedulò inueſtigarent, & vel in deprehenſos non gratia, non ſordibus corrupti, ſecundum leges animaduerterent, vel otioſos ac vagos ac proinde ſuſpectos, ad operis aliquid exercendum, vel ad ſe in officio continendos præſtitis bonis vadimonijs cogerent. Sed vereor mihi nè non hæc pleriq; noſtratum non agant, verùm hijs oppoſitum, & ne iuxta Prophetæ illud oraculum. Si viderint furem currãt cum eo, & cum adulteris portionem ſuam ponãt. Nimium in propatulo eſt, quoſdam ex noſtris Heroibus, qui ſe generoſos iactant, ex ipſis furibus ſuum compendium facere, ac proinde eos velut

velut ſuorum commodorum curatores alere & confouere, imò ad furta ipſa adeò inuitare, quàm vt locus ſit bonis hac in parte diſsimulandi. Quid enim aliud faciunt hij, qui apprehenſos fures accepto munere venditant, quàm ſi quis canem ouicidam deprehendens, ouibus mactatis ei ablatis, mox ad plures cedendas oues, quarum particeps eſſe poſsit dimittat? Nonne hij maximè fures cenſendi ſunt? Generoſos tamen interim (ſi Dijs placet) ſe haberi volunt, & Iuſticiæ legumque cuſtodes ſanctiſsimos. Apagè talibus pſeudogeneroſis, qui ex furtis & latrocinijs quæſtum faciunt. Hoc denique affirmare auſim, ſi huiuſmodi non eſſent furum fautores & licitatores inter noſtrates, hoc quicquid eſt de latrocinio infamiæ, à nobis breui prorſus elutum iri: Proinde ſeueriùs aliquid in tales ſanciri velim legibus, quo vel metu ſaltem ſe ab huiuſmodi ſcelere contineant, quando Dei timore inde minimè deterreantur. Atque huius generis ſunt hij maximè qui nullis aut perquàm modicis cenſibus ditati, generoſi tamen haberi, & munus publicum aliquod gerere volunt. Agnoſcamus igitur ingenuè nos diuina quidem vltione, ob ſcelera noſtra atrociſsima, meritò iam olim caſtigatos. Nec melius nobis futurum fore, quoad mores noſtros in melius formauerimus: Nec eſt quòd mihi hac in parte ſuccenſeant mei communicipes, ſi quid aſperius à me in quẽquam dictum videatur, meminerint quippè boni, nihil à me in illos proferri: mali verò, ſi quid eos momordeat, non odio id profectum eſſe, imò ardenti ſtudio, famæ honori, & ſaluti eorum tum corporis tum animæ

me ſummopere conſultum velle. Quare tam diuturna Dei vltione caſtigati, & ſuorum tum veterum tum recẽtiorum authorum increpationibus atq; admonitionibus correpti, exterorumque infamia & contumelijs pudefacti, nunc tandem ad cor redire feſtinent, neque vlterius & Dei iram, & ſeculi opprobrium ferant, imò prioris infamiæ notam, vitæ & morum integritate reſarciant. Si huc reſpexerit Gildas hic, qui in Brytannorum deiectionem profertur, libenter ei ſubſcripſerim: Si vt illuſtrium virorum res geſtæ obliterarentur, planè ipſum id nequicquam efficere potuiſſe, vt maximè vellet, manifeſtum eſt. Nam ſi profeſſus hiſtoriam conſcribere, & Regum Brytannorum nomina, vitas & mores & exitus recenſuiſſet, temporumque rationem, quod maximè proprium hiſtorici fuerat, ſubduxiſſet atque adnotaſſet, & præterea vnius Arthuri nomen tranſiluiſſet intactum, non tanti tamen valere debet huius vnius ſilentium, ad tam celebrati viri nomen obliterandum, quantum tot aliorum ſcriptorum tum veterum tum recentium teſtimonia, ipſum Arthurum diſertis verbis aſſerentia. Plus enim vbique valet vnius teſtis rem affirmantis, quàm vel centenum qui ſe negent quicquam de re controuerſa ſcire aſſerant, teſtimonium, multò minoris eius teſtamentum eſſe cenſendum eſt, qui rem omnino intactam relinquit: Hic verò ſcriptor, nec rei ignorantia, neque incertitudine aliqua, tam Arthurum quàm nonnullos alios illuſtres viros intactos reliquiſſe, & ex hijs quæ diximus ſatis liquet, & eius libellum attentiùs conſideranti, magis etiam erit manifeſtum. Ait enim: Hæc erectæ

ceruice

ceruice & mente ex quo inhabitata eſt, nunc Deo, interdum ciuibus, nonnunquam etiam tranſmarinis Regibus ingrata cõſurgit. Ex quibus verbis liquet, ſe non ignoraſſe ea quæ hac in Inſula obtigerint, vel à primo eius incolatu. Quod etiam magis perſpicuum reddunt hæc, quæ mox ſubduntur verba. Igitur omittens priſcos illos errores, patriæque portenta, & tacens vetuſtos immanium Tyrannorum annos. Nonne hijs ingenuè fatetur ſe conſultò, non ignorantia aliqua, hæc omnia præterijſſe? Etſi mox polliceatur, ſe illa tantum in medium proferre conaturum, quę temporibus Romanorum Imperatorum & paſſa eſt hæc Inſula, & alijs intulit ciuibus mala. Quàm parùm id præſtiterit, Polydorum ipſum teſtem non recuſo. Deinde animaduertat Lector huius libelli velim, quàm parum ſibi conſtiterit huius Author, nunc Brytannos rebellionis, quòd in tranſmarinos Reges ingrati conſurgerent, notans, quaſi nõ meliori iure libertatem ſuam his tueri liceret, quàm illis vi eripere & retinere, ac mox quaſi horum omnium oblitus, Brytannos acriter taxat, quòd fortiter pro patria non dimicarent. Nam ad Romanorum aduentum, qui ad motus huiuſmodi ſedandos deſtinabantur: Non (inquit) militaris in mari claſsis parata fortiter dimicare pro patria, nec quadratum agmen neque dexterum cornu, aliuſque belli apparatus in littore conſpiciuntur, ſed terga pro ſcuto fugantibus dantur, & colla gladijs gelido per oſſa tremore currente, manuſque vinciendæ muliebriter protenduntur. Vide Lector, nunc ingratos appellat eos, quòd in tranſmarinos Reges conſurgerent, nunc ignauos, quòd non for-

tiùs reſtiterint: quid hijs inconſtantius aut magis contrarium dici poſsit? Et ſtatim quod hijs omnibus eſt magis repugnans, vbi Duce Maximo, qui & Maximinus dicebatur, non ſolum patriam à Romanorum incurſu tueri cœperunt, verùmetiam eos Romano ad tempus imperio deturbare, non ſunt veriti: Non minus in eos inuehitur, vbi ait: Itemque tandem Tyrannorum virgultis creſcentibus, & in immanem ſiluam iam iamque erumpentibus, Inſula nomen Romanum, nec tamen morem legemque tenens, quin potius abijciens, germen ſuæ plantationis amariſsimę, ad Gallias magna comitante militum caterua, Maximum Imperatorijs inſignibus, quæ nec decenter vnquam geſsit, non legitimè, ſed ritu Tyrannico initiatum mittit, & tandem ſubijcit: Quemadmodum hic Maximus duos Imperatores legitimos, vnum Roma, alterum religioſiſsima vita pepulerit. Quid tandem facerent Brytanni, quod huic non maledicendi occaſionem ſatis amplam præberent, quum inſurgunt, perfidi, quum non fortiùs inſiſtunt, ignaui, quum inſurgunt & fortiter repellunt, hoſtes iniqui cenſentur, adeò nullum hijs obtingere potuiſſet euentum, quod hic in malam non interpretaretur partem. Deinde quòd Conſtantino Authores fuerint noſtri Brytanni & Imperium Romanum nanciſcendi, & Tyrannos quamplurimos, qui tum fortè Imperium illud inuaſerant ſubigendi, prorſus diſsimulat. Nec non ex ea profectione maximas huius Inſulæ vires exhauſtas, quò factum eſt poſtea, vt multo quàm prius imbecilliores fuerint Barbarorum circumiacentium incurſioni-

ſionibus ſuſtinendis. Sed vt huius ſcriptoris de hoc Conſtantino nonnulliſque alijs Regibus ſilentium, nihil ipſis præiudicij generauit, ita neque Arthuro debet, quando pari modo vt illi ſilentio prætermittitur. Neque quicquam mouere debet, quod à Beda etiam præteritur. Nam ex hoc Gilda id erroris hauſerat, quando nihil ex Brytannicis rebus ipſum legiſſe videretur, præter ea quæ ab hoc acceperit. Multò minus id momenti eſt, quòd à Romanis non celebratur ſcriptoribus, quandoquidem in ea incidit tempora, quibus nec ſua ipſorum facinora memorare, nedum aliena ipſis licuerit. Nam quum à Gothis Italia, Vandalis Hiſpania, Francis Gallia, à Saxonibus verò Brytannia pulſi & profligati iam eſſent, credemus ne tum, quum de ſalute ſua penitùs animos deſponderent, & vel in remotiſsimas oras ſe ſubducerent, vel cum Gothis pro ſuis Laribus, aris, atque focis decertarent, ipſis aut licuiſſe aliorum res ſtrenuè geſtas illuſtrare, aut libuiſſe ſuas calamitates enumerare? adeò vt per ea tempora res in Italia geſtæ penè in obſcuro delituiſſent, niſi à Græcis ſcriptoribus obſeruarentur. Cæterùm vt non omnia poſſumus omnes, ſic multa à Romanis, multa à Græcis, nonnulla etiam ab alijs vulgaribus linguis & monumentis petenda ſunt, nec tantum cuiquam vni linguæ aut nationi tribuendum authoritatis cenſeo, vt præterea nihil vſquam certi aut firmi apud alias gentes reperiri poſſe credamus. Quare non adeò mirum videri debet, quòd Polydorus noſter, partim dum nimium tribuit Romanis ſcriptori-

bus

bus & nihil penitùs exteris, partim quia patrię linguæ, cuius res geſtę memorantur, ignoraret. Nonnulla gentis noſtræ egregia facinora vel ignorauerit, vel quia à Romanis ſcriptoribus non referuntur prorſus reiecerit. Quod rectè ne an ſecùs fecerit, aliorum eſto iudicium. Satis meo inſtituto factum duxi, ſi ea quæ me in hac parte mouerent, in medium proferrem, non odio cuiuſquam aut aliorum ſtudio gratiaúe ductus, ſed ne rerum vetuſtas eo, quò maximè valerem, patrocinio deſtitueretur.

FINIS.

Index Capitum, quæ in hoc opere continentur.

QVod Brytannia, rerum in ea geſtarum monumentis, nullo vnquam tempore à primo eius incolatu, caruiſſe videatur. pag. 1. cap. 1.

Summa totius Commentationis inſequentis. pag. 21. cap. 2.

Quòd Gaufredus Monomutenſis, hiſtoriæ Brytannicæ quæ ſub eius nomine circumfertur, non Author, ſed duntaxat Interpres fuerit, deque ipſius hiſtoriæ fide & antiquitate. pag. 23. cap. 3.

De Brytanniæ Etymologia diſquiſitio. pag. 40. cap. 4.

Polydori opinionis, de primis Brytanniæ incolis, conuulſio. pag. 46. cap. 5.

Quòd Brytanni Continentis, ex huius Inſulæ Brytannis, non econtrà hij ab illis, originem ſumpſerint. pag. 47. cap. 6.

Quòd à Bruto Brytanniam denominari veriſimilius ſit, etiamſi hiſtoria recepta nullo penitus loco haberetur, quàm ex aliqua alia ratione, quæ ab huiuſmodi hiſtoriæ aduerſarijs adducitur. pag. 54. cap. 7.

De Londino, quòd idem ſit quod olim Trinouantum vrbs, quod à Polydoro item denegatur, déq; vtriuſque vocabuli etymologia, & quod Auguſta dicta ſit etiam olim. pag. 65. cap. 8.

De vocabulis aliquot Brytanniæ locorum priſcis, etiam nunc antiquitatem ipſam redolentibus, eorumque etymologia. pag. 70. cap. 9.

X. Quòd

Index Capitum.

Quòd Polydorus Virgilius nonnulla de Brytannis à claſsicis authoribus honorificè memorata, ex compoſito eleuare & imminuere ſtuduerit, alia verò in eorum contumeliam inclinantia, & plus æquo intenderit, & ſtudio adhibito, hinc inde conquiſierit. pag.77.cap.10.

De Brenno, quòd idem fuerit Brytannus, & qui Romam cœperit, & qui Gallos in Græciam & Macedoniam deduxerit.pag.97.cap.11.

De Arthuro Brytonum rege illuſtriſsimo. pag.109. cap.12.

Probabiles coniecturæ, cur Gildas, quem Polydorus nuper typis excudendum curauit, Arthurum ſilentio prætermiſerit.pag.141.cap.13.

Index rerum quæ in hoc opere continentur maximè memorabilium, ſecundùm ordinem Alphabeticum digeſtus.

ADamus Craſſus. pag.12.
Albion Neptuni filius. pag 57.
Albion Inſula vnde dicta. pa. 56.& 57.
Albionis ne an Brytāniæ antiquius nomen. pag.55. 56.& 58.
Albania, quæ nunc Scotia, vnde dicta. pag.60.
Angliæ etymologia. pag 74.
Androgeus à Beda & Gaufredo, qui à Cæſare Mandubratius, à Brytannis Anaroius veriùs dicitur. pag.33. 34.&.67
Armorica Gallia, quo tempore & à quibus dicta ſit Brytannia. pag.47.& 48.
Armoricorum Brytannorum origo. pag.49.51. & 53. Eorundem linguam à veteri Brytānica non multum differre. ibidem.
Armoricanos, Corinnios, & Cambrenſes Brytannos, ex vna gente Brytānica oriundos. pag.20.
Artium liberalium, ſcientiarum, & literarum inuentiones, è Græcia primùm fluxiſſe. pag.3.
Arthurus Rex, vnus ex nouem Paribus ſiue Heroibus illuſtribus. pag.28.& 139.
Arthuri Sepulchrum in Glaſconiēſi Cœnobio poſitum. pag.109. Inuentum tempore Herici.2. ibid.& pag.130. Eiuſdem Corona ab Edvvardo.1. in vrbe Caernaruō inuenta. pag.129. Eiuſdem ſigillum VVeſtmonaſterij adſeruatum. ibid.
Arthurus in bello de Camblā lethaliter vulneratus, & inde in Glaſconiā delatus. pag.130. &.137. Eiuſdem mors. pag.146.
Arthurus Glaſconienſis eccleſiæ patronus. pag.132.& 133.
Arthurus tres habuit vxores nomine Gvveneuerias. pag.134.& 135.
Arthuri nomen, Mōtibus, Saxis, & Rupibus Cābriæ iam olim inditū. pag.136.& 137.

Aſia à Brēno ſubiugata & tributaria facta.pa.104.&.105
Aſtutia mira in ſepeliēdo Arthuro rege.pa.131.132.&.133.
Auaroius filius Lud regis, qui Mādubratius à Cęſare, Androge⁹ à Gaufredo corruptè dictus. pa. 33. 34. &.124.
Auallonia Inſula, quæ nunc Glaſconia vnde dicta.p.131.
Authoris huius operis natale ſolum. ibid.

BAdonici montis bellum, ab Arthuro geſtum. pa. 119. 120.121.122.126.146.&.147.
Bardi qui dicti.pa.7.8.Eorundē munus.pa.9.10.11.&.16. Eoſdē Pryduides & Druides olim appellatos. pa.11.
Bella.12. inſignia ab Arthuro aduerſus Saxones geſta.p. 118
Belgius, qui Belinus diceretur pa.98.
Britannia Inſula vnde dicta. 40.41.58.60. 63. Eiuſdem diuiſio inter filios Bruti. pa.60.Olim habuiſſe quinque prouincias, & totidem Metropoles. pa. 73. Quo tēpore Scotorū & Pictorū incurſionibus obnoxia fuit pa.50.Eiuſdem tā cœli quā ſoli tēperies.pa.1. Non caruiſſe literis, atq; rerū geſtarū monumentis, à primo eius incolatu. p.1.3.4.5.8.9 14.17.&.27. Eius lōgitudo. pa.57.
Britannos vſos fuiſſe gręcis literis tempore I.Cæſaris.pa. 3.4.habuiſſe literarum vſum æquè maturè vel maturius quā Romanos.ibid.Itē conſtantē ſcribendi rationē & orthographiā.pa. 4.&.5.Itē Grāmaticā exactā. pa.7. Itē principia & canones quoſdā generales cuiuſlibet Doctrinæ.p.14.Itē Leges habuiſſe olim municipes. ib. Nimis eſſe curioſos in genealogijs Maiorū ſuorū enarrādis.pa. 15. 16.&. 18. Primos fuiſſe Incolas Britāniæ Inſulę. pa. 18.46.&. 55. Abnuiſſe Romanā linguā tempore Cor. Taciti.pa.54.A Troianis oriundos.pa.59.&.60.Bellicoſiſſimā eſſe gentem & cædis auidiſſimā.p.48.&.84.Multis prælijs fudiſſe Romanos & Macedones.p.104. Eorū ciuile diſſidiū fuiſſe in cauſa quòd à Romanis ſubiugati eſſent. pa.85. Cauſa quòd à Saxonibus deuicti eſsēt.ib.
Brytannicam linguam, gręcæ

proximè accedere. pag.60.
Britános, Scotos, Pictos, & Saxones ſimul inhabitaſſe hãc Inſulam. pag.25.
Brechonia, quæ nunc Aberhonthy. pag.136.
Brennũ fuiſſe Brytãnũ, & cœpiſſe Romam, & Gallos in Græciã & Macedoniam deduxiſſe. pag.97.98.&.99.
Brennũ & Belinũ fratres, poſt ſopitã inter eos diſcordiã, & poſt Gallias ſubactas, Alpes tranſiſſe, vrbemque Romam cœpiſſe, plurimaſque alias Regiones deuiciſſe. pag.99. 104.& 105. Brẽnũ oppugnaſſe tẽplum Apollinis Delphis poſitũ, ibique occubuiſſe. ib. Condidiſſe Mediolanũ, Comum, Brixiam, Veronã, Bergomum, Tridentum, & Vincentium in Italia. pag.100. Deuiciſſe Zibiam Regẽ Bithiniæ. pag.103.
Brutus vnde originem ſumpſerit. pag.58.&.63.

CAdvvaladerus vltimus Brytãnorum rex. pa.14.
Cambria quæ nunc VVallia à Cambro Bruti filio dicta. pag.60.&.74.
Caernaruon, vrbs Venedotiæ. pag.129.
Cambrobrytannos adhuc & Patriam & linguam antiquam retinere. pag.20.
Cæſarẽ ſubegiſſe hanc Inſulã non tã armis quàm proditione, & inteſtinis ciuiũ odijs & factionibus. pag.33.&.85.
Cæſarem oſtendiſſe Romanis Brytaniã potiùs quàm ſubegiſſe. pag.38.&.90.
Cæſaris loca à Polydoro corrupta & mutilata. pag.79. 80.&.81.
Cæſarẽ, ope Mãdubratij Brytãni deuiciſſe Brytãnos. pa.85.
Cæſarem à Brytãnis fugatum. pag.88.&.89.
Carãtaci Brytãni laus. pag.78.
Caſtra legionum vrbs, nunc dicta Caer leon ar Vsk, vbi ſita. pag. 26.
Cathedra Arthuri. pag.136.
Caſſiuellaunus rex Brytannorum, Dux bellorum contra Cæſarem. pag.32.
Cedvvallo. pag.123.
Chriſtiana fides, quo tempore primùm in Brytannia plantata. pag.73.
Corinnij qui Cornubienſes nunc dicti. pag.19.
Cinobelinus. pag.28.
Coelus. ibid.

INDEX.

Conanus Meriadocus Brytã-nia minori donatus. pa.50.
Cuneglaſius, qui Cunedagius diceretur.pag.141.

DAuid cognomẽto Canus. pag.12.
Dauid Nanmorus.ibidem.
Dauid filius Gulielmi.ibid..
Dauid cognominatꝰ niger.ib.
Dauid Sanctum, ab Arthuro rege factum Epiſcopum apud Caſtra legionum.pag. 26. Eundem tranſtuliſſe ſedem Epiſcopalẽ inde, Meneuiam.ibidem.
Dauid cognomẽto Penubras. pag.12.
Demetica regio, brytannicè Dyuet, quæ nunc auſtralis VVallia dicitur.pa.15.& 72.
Dorobernia vnde dicta. pag. 74.Eadẽ olim Metropolis fuit.ibidem.
Druydum diſciplinam in Brytãnia repertam, & inde in Gallias tranſlatam.pag.3.
Druydes ijdẽ qui & pryduides & Bardi olim dicti.pag.11.
Dubritius S. Epiſcopus apud Caſtrá legionũ.pa.26.& 127
Dunvvallo.pag.28.

EBoracus. pag.28.
Eboracum ciuitas, quæ à Brytannis Euoraug, ab Anglis olim Etervvick, nunc York appellatur.pag.69.
Edernus cognominatꝰ Chryſoſtomus.pag.12.
Eccleſiæ Brytannicę olim habuerunt Chronica peculiaria.pag.16.& 17.
Epytaphium in Arthuri regis ſepulchrũ inſcriptũ. pa.132.
Etymologia cuiuſque nominis ab ea lingua eſt petenda, quæ id nomen cuique rei indidit.pag.55.
Exercitus quatuor ſelectorum virorũ ex Inſula Brytannia olim profecti, qui nunquam rediere. pag.51.

FOeminarum Brytannicarũ 40000. in Armoricam Brytanniam ad nubendum tranſmiſſæ.pag.51.
Faganus & Duuianꝰ ab Eleutherio Papa miſſi, ad prædicandum Euangelium in Brytannia.pag.73.
Franci ab Antenore Troiano oriundi.pag.59.
Fuga Cæſaris ex Brytannia. pag.38.

GAllogręciam à Gallis qui

ſub

ſub Brenno militauerunt, nomen ſumpſiſſe. pa. 103.
Gaufredus Monomutẽſis hiſtoriæ Britannicæ non Author ſed Interpres fuit, pa. 23. 28. 29. 30. 31. 32. 36. 37. 61. & 62.
Gaufredi error, quod Labienum pro Laberio, & Sulpitium pro Simplicio mendosè ſcripſerit. pa. 34.
Gerardus Canæiubæ. pa. 12.
Germanus S. pa. 113.
Gerentius filius Erbini Dannoniorum princeps. pa. 122.
Gildam Polydori, nõ hiſtoriã ſed potius declamationem de Brytannorum excidio compoſuiſſe. pa. 91. 92. & 106.
Gildas, quáobrem in Arthurum regem & Brytannos adeò infeſtus. pa. 114. 143. & 148.
Giraldus Cambrẽſis Henrico regi. 2. familiaris. pa. 30.
Glaſconia vndè dicta. pa. 131.
Glaſconienſis Cœnobij antiquitas. pa. 110, 111. 112. & 133.
Eiuſdẽ Patroni qui. pa. 111.
Græcos mutuatos fuiſſe ſuas literas ab Hebreis. pa. 62.
Griffinus filius Conani Princeps Venedotiæ. pa. 11.
Gymnaſia publica olim apud Brytannos. pa. 7.
Gvvorthigernus qui & Vortigernus dictus eſt. pa. 119. 121. & 122. Is primum induxit Saxones in hanc Inſulam. pa. 124. Eiuſdem mors in Caſtello de nomine eius appellato Gvvorthigernion. ibid.

Henricum regem eius nominis ſeptimum, à Brytãnorum principum ſtemmate prognatum. pa. 86.
Hibernia, à Ptolomeo Invverna, à Brytannis Ivverdon dicta. pa. 72.
Hibernienſes quo tempore Chriſtianam fidem ſuſceperunt. pa. 113.
Hominum ſcelera in cauſa eſſe, quòd Regna & Imperia de alia in aliam gentem transferantur. pa. 86.
Hoelus Surdeuallis. pa. 12.
Hoelus ſine Huelinus Gildæ frater ab Arthuro rege interfectus. pa. 143. & 144.

Imanuentius à Cæſare, qui Teneuantius à Gaufredo dictus. pa. 34. Idem frater Androgei ſiue Mandubratij.

INDEX.

tij. ibid.
Iollaus Rufus. pa.12.
Ieuanus filius Roderici. ibid.
Ioſephus Arimathēſis. pa.111.

KEnvvalchius rex paganus Glaſconienſis Cœnobij patronus. pa.111.
Kymraeg.i.linguam Cambricam, non à Cam græco, i. diſtorto græco,ſed à Cambro Bruti filio dictam. pa. 60.&.61.
Kyndelous cognomine Poeta magnus.pa.12.

LIterarum vſum fuiſſe rarũ apud Romanos,ante Vrbem Romam à Gallis captam.pa.4.
Literarum Britannicarum numerus, ſonus, atq; diuiſio. pa.4.6.&.7.
Loegria quæ nunc Anglia, à Locrino Bruti filio dicta. pa.60.
Lundinum à Lud rege nomẽ accepiſſe.pa.65.Idem olim Trinouantum & etiam Auguſta dicta.pa.67. Eadem vrbs olim Metropolis. pa.74.
Lud rex, Lundini vrbis Inſtaurator.pa.28.65.&.68.
Ludouicus vltimus Cambrici iuris princeps, ab Edvvardo.1. deuictus.pa.129.
Ludouicus cognomine Bardus.pa.12.
Lucius Brytannorum regum primus qui Chriſtianam fidem ſuſcepit.pa.73.
Lucius Hiberus Romanus ab Arthuro rege deuictus. pa.128.

MAgiam tempore Plinij in Brytannia mirè celebratam.pa.3.
Mailgo, aliàs Maglocunus. pa. 120. quo tempore floruit.pa.146.
Mandubratius Dux Trenouantum Cæſaris fidem ſequutus. pa.32.33.&.124.
Maridunum, nunc Caermarden.pa.72.
Merlinus Silueſtris, & item Ambroſius, quo tempore floruerunt.pa.10.
Meneuenſis Eccleſia olim Metropolis totius Cambriæ. pa.26.&.128.
Mona Inſula, Britãnicè Môn, anglicè vero Angleſey dicta.pag.71.
Monoada Inſula,quæ Brytannicè Manavv,anglicè Man dicitur.

dicitur.ibid.
Mordredus ab Arthuro in bello de Camblan interfectus.pag.128.
Mordredi filij,à Conſtantino rege Arthuri nepote interfecti.pag.147.& 148.
Morgain le faye, Arthuri regis cognata.pag.131.

NOrthampton oppidum vnde dictum. pag.68.
Norvvici oppidi etymologia.pag.70.

OEneus Keueiliocus Princeps Venedotiæ. pa.12.
Orbicularis ſiue teretis menſæ ordo, ab Arthuro rege inſtitutus.pag.138.
Oska flumen,nunc Vske.pag. 26.

PAtricius S. Hibernienſium Apoſtolus. pag. 112.113. Quo tempore floruit. ibid. &.116.
Polydorus plagij conuictus. pag. 61. Eiuſdem error in ſitu Trinouantium. pag. 67. Item circa Northampton, Ordouices, Monam inſulam, & Cornugalliam. pag.68.70.& 71.Eius aſtutia in perperam citãdis authoribus.pag.78.79.80.81.
Prothotypon Brytannicum à Gaufredo tranſlatum. pàg. 61.& 62.
Prouinciarum ſanguine, prouincias à Romanis acquiſitas, potius quàm propria virtute.pag.93.

QVintus Laberius Durus Tribunus militũ à Brytannis interfectus.pag.80.

REgnum à Brytannis tranſlatum ob quatuor potiſſimum res.pag.151.
Rheſus filius Griffini princeps Demetarum.pag.12.
Rheſus Brechamus.ibid.
Rheſus Nanmorus.ibid.
Romani opum & laudũ auari.pag.2.
Romani Imperatores Brytannici agnomen inter maximos honores ſibi ambiebant.pag.85.
Romani olim appellabant Tranſalpinos omnes, Gallos.pag.98.

SAxones, quo tempore primùm in Brytãniam venerunt.pag.119.124.& 146.

Scotia,olim Albania & etiam Valentia dicta. pa. 72. 73. &.74.
Simplicius Ro. Epiſcopus tẽpore Arthuri regis. pa.34.
Soſthenes Macedonum dux à Brenno profligatus. pa. 99.& 101.

TAcitus à Polydoro perperam citatus. pa. 78.&.79.
T.Liuius ſibi ipſi contrarius. pa.102.
Thalieſſinus vates Brytannicus, quo tempore floruit. pa.10,27. &. 120. Eiuſdem Carmina Brytannica antiquiſſima.pa.120.
Theodorus Ayletus.ibid.
Trinouantum vrbs, quę nunc Lundinum vnde dictum. pa.68.
Trahaernus Poeta Britannicus.pa.12.
Triſamtonis oſtia,nũc Southhampton .pa.71.

VAlentia olim, quæ nunc Scotia dicitur.pa.72.
Venedotia,quæ nunc Septentrionalis VVallia dicitur, pa.11.
Venta Cimenorum, quæ nũc Norvvicum appellatur. pa.66.
Venta,quę nũc VVincheſter. pa.71.
Vectis Inſula à Veſpaſiano Imperatore ſubiugata. pa. 84.
Veſpaſianus ob Vectem Inſulam adiectam Imperio Triumphum egiſſe. ibid.
Vliſſem Calidoniæ in Scotia olim appulſum.pa.57.
Vortiporius.pa.141.
Vortimerius, Vortigerni filius.pa.141.
Vrſula, cum Virginibus Brytannicis. 11000. Coloniæ Martyrium paſſa.pa.51.
Vrianus Rhegadus Arthuri Regis miles.pa.27. 123.
Vrbs Legionum, quæ nunc Caerleon ar Vsk dicitur, olim Metropolis totius Cambrię fuit.pa.74.

VVAllia vnde dicta.pa.61.
VVorthemerus. pa.125.

Finis Tabulæ.

DE MONA DRVIDVM INSVLA, ANTIQVITATI

ſuæ reſtituta (cuius in Angliæ deſcriptione meminimus) Epiſtola Nobilis & eruditi viri Humfredi Lhuyd: In qua etiam de Armamentario Romano, cuius in Hollandia facta eſt mentio, non inelegans diſceptatio.

QVOD initam inter nos nuper amicitiam obliuioni non tradidiſti, meque tuis literis ſalutare, & munere mihi gratiſsimo donare dignatus es, ſummas ago tibi gratias doctiſſ. Orteli: Deumque teſtor, nihil vnquã mihi gratius accidere potuiſſe, quàm inter viros doctos & Antiquitatum aſſertores, ſi per longiſsimam terrarum diſtantiam hoc liceret, verſari. Sed antequam ad plenum tuæ dulciſsimæ Epiſtolæ reſponſum deueniam, hoc præfari libet: Me, poſtquam bonas literas vix à limine ſalutaſſem, meipſum in familiam illuſtriſsimi Principis Comitis Arundelij inſeruiſſe, ibique hos quindecim annos continuos manſiſſe, vbi nec Latinè loquendi nec ſcribendi toto hoc tempore aliqua mihi conceſſa fuit opportunitas, vndè contigit me Latini ſermonis elegantiam ſeruare non potuiſſe. Tuam igitur humanitatem precor, vt meam hanc barbariem boni conſulas, & non eloquentiam, ſed rem ipſam verbis vtcunque vulgaribus, & phraſi parum Latina expoſitam, animumque tui de-

ditiſſ. conſideres: & ſi quid poſthac ad te mittam, quod libro tuo (cuius mẽtio aliquod rarum mihi promittere videtur, inſerere libuerit, te logodædalum & dictionis illuſtratorem conſtituo. Interim quid ego de hac turri Britannica (cuius nomen Ortelius iam mundo illuſtre ſuis elegantiſſ. typis fecit) coniectura aſſequi poſſum, (cùm certi nil me legiſſe contigit) accipito, Britannos, omnesq; Oceani accolas olim pyraticam exercuiſſe, ex noſtris Annalibus Britãnica lingua ſcriptis liquet, eosq; ſæpenumero in Morianam, Rutheniam, & Germaniam traieciſſe cõſtat, quæ nomina Morianæ & Rutheniæ, noſtrates & Angli noſtrarum hiſtoriarum interpretes, ob linguæ & hiſtoriarum imperitiam, in Mauritanos & Ruſſos ſatis infœliciter pro Morinis & Flandris contorquent. Igitur cùm nullus eſſet commodior portus quàm oſtium maximi fluuij, veriſimile eſt eos in illum locum ſæpius traieciſſe, & inde incolas turrim aliquã ad eorum impetũ reſiſtendum fabricaſſe, & Imperatores Romanos hoc ædificiũ (nomine ſeruato) poſtea in alium vſum conuertiſſe. Alia etiam coniectura ex eadem officina fabricari poteſt: Antonini tempore etiam, cùm iam mare per Saxones & Phriſios infeſtaretur, ipſe hoc ædificium inſtaurauit, impoſitis in eodem ex Brytannico exercitu militibus, vnde & nomen adipiſci potuit. Reſtat vna quæ inſtar omnium erit. Cùm Brytannia tunc temporis eſſet quaſi horreum Occidentalis Imperij, & annona illinc transferebatur per Britannos, ad exercitum limitis Germanici cuſtodem alendum, nullus aptior locus erat deponendi onera, quàm in oſtio

maximi

maximi fluminis Rheni, vbi iterum alterius generis nauibus contra curſum aquæ per Menapios ad Coloniam & Maguntiam vſque (vt nunc factitant) veheretur, vnde ille locus cùm & eſſet Mercatorum Brytannorum receptaculum, & annonæ ab illis inuectæ, quaſi horreum (qualia refert Ammianus Marcellinus Iulianum Cæſarem multa per Galliam & Germaniam pro Brytannica annona conſeruanda extruxiſſe, & alia incenſa & diruta reſtauraſſe) à frequentia Brytannorum, Brytannici nomen meruit. Has autem nudas coniecturas nullis teſtimonijs corroboratas, tuo iudicio excutiẽdas relinquo, quem non dubito ex multijuga tua cognitione, multò meliora in medium adferre poſſe. Reſtat, vt de Monæ Inſulæ nomine & ſitu, quæ apud Antiquiores & modernos Authores obſeruaui, quæque ipſe experientia & ex linguæ Brytannicæ (qua iam illius Inſulæ Incolæ vtuntur) cognitione didici, tibi cui aliquid denegare, quod vires meæ præſtare poſſint, apud me piaculi loco erit, aliquid ſcribam: quamuis ſcio me hoc factitando, nomen meum multorum calumnijs exponere, quia errores ſemel imbibiti difficillimè euelluntur, maximè, cùm Polydori Vergilij viri docti, & non vulgaris eloquentiæ, authoritate confirmentur; ſed pace eorum dixerim, virum hunc Annales ſuos manifeſtis erroribus & mille mendis impleuiſſe; idque non ſolùm ei accidiſſe ob imperitiam linguæ Brytannicæ (quam nunc Angli more Germanico, tanquam illis non intellectam VVallicam vocant) ſine qua nec nomen ipſius

Inſulæ rectè intelligitur, cùm alij per p, alij per b, alij per ph, literas ſcribunt: ſed etiã quòd meliores Authores non legerit, vel quòd inuidia Brytannici nominis (quod Nobiliſsimi Roma. Imperatorũ nimis ſtudiosè amplexi ſunt) tumens, eorum Authoritates paruipendens, & ſibi nimium tribuẽs (ſpretis melioribus) Guilhelmi cuiuſdam, & re & nomine Parui cæcutientis cæcus veſtigia ſecutus ſit. Sed crepat licet Brytannicæ gloriæ vellicator impudentiſsimus, dum extant inter Græcos, Diodorus Siculus, Dion Caſsius bis Conſul, Herodianus, Plutarchus, Pauſanias, Ptolomeus & Strabo: Inter Latinos, Cæſaris commentaria, Corn. Tacitus, Eutropius, Suetonius, Oroſius, Aelius Spartianus, Iulius Capitolinus, Aelius Lampridius, Flauius Vopiſcus, Aurelius Victor, Ammianus Marcellinus, Sextus Rufus, Panegyrica Mamertini, & aliorum: Plinius, Antoninus, Mela, & Solinus, pręter Annales antiquiſsimos Brytannicè ſcriptos, Gyldas tres, Nenium, & clarioris eruditionis multos alios, qui ante aduentum Anglorum (quos noſtrates veteri nomine adhuc ſeruato Saxonas vocant) res Brytãnicas ſcriptis ſuis illuſtrauêre, & poſt deuictam ab illis illam Inſulæ partem, quam illi Angliam, nos verò Loegriã, antiquum nomen retinentes, dicimus: Aſſerius, Obernus, Felix, Monumetenſis, Huntyntonenſis, Malmesburienſis, Annouillanus, Iſcanus, Necchamius, Gyraldus, Pariſienſis, Trenetus, & infiniti alij, crepat (inquam) licet imperioſus Vrbinas, & clariſsimis Brytãnorum rebus geſtis oblatret, dum hij claſsicum Brytannicæ gloriæ cantent, nuſquam poterit mendaciſsimis

mis ſuis calumnijs Brytanniæ decus, & nominis famam à tot clariſsimis viris decantatam, vel obſcuram reddere, vel aliqua infamia inurere. Iam ad Monam redeundum eſt, quam Polydorus ſatis pro imperio nomine antiquo priuauit, anonimâque relinquens, Menauiam vtroque decorauit, quod facilè & ex Romanis, Græcis, & Brytannicis ſcriptoribus, & Incolarum lingua, hunc in modum probatur.

Conſtat ex Cęſare, Tacito, & reliquis, Monam eſſe Inſulam Brytanniæ finitimam, inter ipſam & Iuerniam ſitam, in quo mari duę ſunt tantùm alicuius nominis & magnitudinis (præter Hebrides) Inſulæ. Igitur neceſſe eſt vnam harũ, antiquorùm Monam fuiſſe, itaque ſitum vtriuſque Inſulæ ante oculos ponendum eſſe duxi, vt inde cætera faciliùs intelligantur. Prima, quã Polydorus Angliſeam vocat, finitima eſt ea Brytanniæ parti, quam nos Cãbriam, Angli verò VVal-liam vocitant, à qua tenuiſsimo ſeparatur Maris ſinu (ab incolis **Menai** dicto) ita quòd iuxta medium Inſulæ, non lõgiùs quàm mille paſſus pateat. In Orientali parte Inſulæ eſt caſtrum fortiſsimum, & elegans Vrbs, opus Edvvardi primi Angliæ Regis, cui Bello Mariſco nomen eſt inditum. In aduerſa verò parte eſt locus traijciendi in Iuerniam aptiſsimus, & Anglis vtilitatiſsimus, quod illi **Holy head** quaſi ſacrum caput, nos verò **Caercybi**.i. Ciuitatem Kibij dicimus. In ea Inſula eſt **Aberfrau** ante trecentos annos Principis Guynedhiæ (quam Angli Northvvalliam, & Barbari Venedociam vocant) Regia: boum & ouium multitudine (pro Inſulæ magnitudine) clara, triticique ita

abundans, vt ob fertilitatem, mater Cambriæ vulgò nuncupetur; arborum inopia maxima, quamuis quotidie ingentes trunci, & radices, abieteſq; miræ longitudinis in campis paſsim ſub terra inueniuntur. Incolæ Britannica vtuntur lingua, Anglice penitus imperiti; Angliæ tamen Regibus poſt. 300. annos cum reliqua Cambria parent. Nunc verò ad ſecundam quam Polydorus nuper Monæ nomine donauit, deueniamus. Ea ſita eſt in medio Maris, à proximo Brytanniæ promontorio diſtans. 25. miliaribus, magnitudine priori penè æqualis, magis tamen ſterilis & inculta, hominesq; imbelles (niſi qui ab Anglia ob Inſulæ cuſtodiam à Comite Derbienſi (cuius patrimonij eſt) mittuntur) gignit. Lingua Scotica ſiue Iuernica quæ eadem eſt, vtuntur. Diſtantia vtriuſq; ab Iuernia ferè eadẽ. His prælibatis, quid Romani de ea ſcripſêre diſcutiamus, inter quos Cæſar primus Monæ meminit, & poſt eum Plinius & Dion Caſsius, ſed nihil præter nudum nomen, & eam in Mari inter Britanniam, & Iuerniam ſitam eſſe, in mediũ attulêre, quod vterq; noſtrum etiam fatetur. Corn. Tacitus vir doctiſsimus & rerum Britannicarum (à Iulio Agricola ſocero ſuo edoctus) ſcientiſsimus, de eius ſitu & à Continenti diſtantia, plura nobis communicauit. Hũc
„ igitur audiemus lib. 14. Ita loquentem: Sed tum Pau-
„ linus Suetonius obtinebat Brytannos, ſcientia militiæ
„ & rumore populi, qui neminẽ ſine æmulo ſinit, Cor-
„ bulonis concertator, receptæq; Armeniæ decus æqua-
„ re, domitis perduellibus cupiens. Igitur Monam In-
„ ſulam Incolis validam & receptaculum perfugarum

aggredi parat, nauesq; fabricatur, plano alueo aduerſus breue littus & incertum, ſic pedites, equites vado ſecuti, aut altiores inter vndas adnantes, equis tranſmiſêre. Stabat pro littore diuerſa acies, denſa armis viriſq;, intercurſantibus fœminis, in modum Furiarum, veſte ferali, crinibus deiectis, faces præferebant, Druidæq; circum, preces diras ſublatis ad cælum manibus fundentes, nouitate aſpectus perculêre militem, vt quaſi hærentibus membris immobile corpus vulneribus præberent: dein cohortationib. Ducis & ſe ipſi ſtimulantes, ne muliebre & fanaticum agmen pauefcerent, inferunt ſigna, ſternuntq; obuios, & igni ſuo inuoluunt, Præſidium poſthac impoſitum victis, exciſiq; luci, ſæuis ſuperſtitionib: ſacri. Nam cruore captiuo adolere aras, & hominũ fibris conſulere deos, fas habebant. Audi obſecro optime Lector, pedites vado, & altiores inter vndas equis adnantes tranſmiſiſſe. Etiam idem Author Agricolæ in eandem Inſulam expeditionem in eius vita depingens ita ſcribit: Iulius agricola Monam Inſulam, cuius poſſeſsionem reuocatum Paulinũ rebellione totius Brytanniæ ſuprà memoraui, redigere in poteſtatem animo intendit, ſed vt dubijs conſilijs naues deerant, ratio & conſtantia Ducis tranſuexit: depoſitis omnibus ſarcinis, lectiſſimos auxiliarium, quibus nota vada, & patrius nandi vſus, quo ſimul ſeq; & arma & equos regunt, ita repentè immiſit, vt obſtupefacti hoſtes, qui claſſem, qui naues qui Mare expectabãt, nihil arduũ aut inuictum crediderint, ſic ad bellum venientibus. Ita petita pace, ac dedita Inſula, clarus ac magnus haberi Agricola:

quippe

„ quippe cui ingredienti Prouinciam, quod tempus alij
„ per oſtentationem aut officiorum ambitum trãſigunt,
„ labor & periculum placuiſſet. Audi iterum: Milites ſine claſſe, ſine nauibus, nando in Monam euaſiſſe, neq; hæc author audiuit ab aliquo obſcurioris famæ, ſed ab ipſo Agricola, ſocero ſuo viro vndecunq; clariſsimo & expeditionis Duce. Sed audi quid huic reſpondet Polydorus. Scribit lib. Anglicæ hiſtoriæ. 1.
„ Hæc olim (ſcilicet Mona) mari diſiuncta anguſto,
„ quoties decreſcebat Oceanus, cuius magni fiunt omni
„ tempore æſtus, adeò prope terram erat, vt ſine nauigijs
„ adiri poſſet. & poſtea, Vide (inquit) quid poſsit vetuſtas, Inſula nunc ab omni terra abeſt amplius. 25. millibus, quæ quondam vix mille paſſus procul erat. In quod nominis & famæ diſcrimen (etiam excellentiſs. ingenia) non impellit inuidia, & contradicendi ſtudium. Somniat Vrbinas maximam terrarum inundationem, cuius nec Latini ſcriptores, nec Anglici, nec Hibernici, nec Scoti vnquam meminêre, & quod magis mirum eſt, nec in vulgus rumor aliquis huius diluuij dimanauit. Queritur etiam de anguſtia alterius Inſulæ & inopia frugum & arborum, vbi ſimiliter fides in illo deſiderari poſsit, nam hæc Inſula (Angliſeam eius, quæ verè Mona eſt, intelligo) habet in longitudine milliaria noſtra circa. 25 in latitudine, 16. quorum vnum quodque ad minus. 1200. paſſus Geographicos continet: igitur in circuitu patet circa. 72. milliaria Italica, quia quibuſdam locis anguſtior eſt. Quod de inopia arborum dicit, verum eſt: nam Tacitus affirmat lucos eſſe exciſos, quorum (vt antea dixi)

dixi) trunci innumerabiles paſsim terra obruti inueniuntur. Syluas etiam illic fuiſſe ante. 400. annos ex noſtris hiſtorijs patet. Neſcio quid dicam de ſterilitate, cùm hic affirmare nō veretur, quod omnes ſciunt eſſe falſiſs. Nam ob fertilitatem in prouerbium inter noſtrates abijt, **Mon mam Gymry**, i. Mona mater Cābriæ. Et Incolæ (pro ratione noſtræ Regionis) ſunt ditiſsimi, etiam & validiſsimi, vt ex hiſtoriographis Anglicis liquet: nam ſæpius Angli claſſe inuecti Inſulam inuaſêre, ſed fruſtrà: nam ab Incolis ad internecionē cęſi ſunt: teſtis erit Hugo Salopiæ & Arundelij Comes illic occiſus: teſtis etiā Henricus filius naturalis Hērici primi, & cum eo multi Nobiles ibidem deleti. Quid plura? Polydori Mona à terra. 25. milliaribus diſtans, hac nihilo maior, multò magis ſterilis, & imbellium hominum Iuernorum parens, Mona cum Polydoro eſſe deſijt. Sed quid reliqui de hac re ſentiunt, diſcutiamus. Geographiæ Princeps Ptolomęus ad Orientalem Iuerniæ plagam quatuor ponit Inſulas, Monarinam (alia exemplaria Monaidam legunt) Monam, Adron & Lymnon: hæ vltimæ nobis optimè cognoſcuntur, antiqua retinentes nomina. Adros à noſtratib. **Ynys adar**, quod Inſula auium ſignificat, dicitur: Lymnos à noſtratib. **Enlli**, ab Anglis **Bardeſey**. i. Bardorum Inſula vocitatur. Reſtant reliquæ duæ, quarū neceſſe eſt, vt vna ſit noſtra, altera Virgilij Mona. Monarinā ponit Ptolomæus multò magis ad Septentrionē, & Orientē Monam. Mona Polydori magis vergit ad Aquilonem & Ortū, quā noſtra. Ergo Monarina, nō Mona Ptolomæo eſt, & noſtra Mona etiam

apud ipſũ Monæ nomen obtinebit Hæc ex externis, ad noſtros veniamus, quibus magis in nominib. quã homini Italo noſtræ linguæ imperito, credendum eſſe arbitror. Sed vt hæc melius intelligantur, pauca prius interſerenda ſunt. Brytannos ante aduentum Anglorum totam hanc Inſulam poſſediſſe, omnibus notum eſt, à quibus dolo victi, à meliori eius parte in extremas eius Regiones depulſi ſunt, & nomina à locis accepêre, vt qui in Cambriam abiêre, Cambri : qui in Cornouiam, Cornouij appellarẽtur. Angli tamen eos omnes more Germanico (qui Italos & Gallos VVallos vocant) VVallos nuncupauêre, additis etiam Regionum vocabulis, vt ex libris lingua Saxonica ſcriptis (etiam nunc extantibus) apparet. Nam noſtrates, Brytas VValas, Cornouienſes Cornvvalas in libris illis vocantur, non vt rudiores ſomniãt, à Cornugalliæ dicti. Nec hîc ſilentio præterire poſſum impudentiam Virgilij, qui ſe gloriatur hoc primò ſcriptis tradidiſſe. Cũ hanc veram VVallici nominis Etymologiam ex Syluestri Gyraldo furatus eſt; ſed vt reuertar vnde digreſſus ſum. Iam Britanni in anguſtias terrarum pulſi linguam Britannicam ſeruauêre, ita vt Regiones, Ciuitates, Fluuij, Inſulæ, & populi, apud noſtrates nomina obtinent antiqua. Nam Anglorum nomen neſcimus, **Saiſſon**.i. Saxonas (nã x literã nõ habemus) omnes Anglos in hũc diẽ appellitantes Angliã verò antiquo nomine **Lhoegr**.i. Loëgriã, VValliã **Cãbry**, i. Cãbriam, Cornugalliam **Corniw**.i. Cornouiam, Scotiã **Alban**. Hiberniam verò **Ywerdhon**, quam etiam antiquiores Geographi non Hiberniam ſed Iuerniam

dixêre,

dixêre, appellamus. Ita & omnium Angliæ Ciuitatum nominibus vtimur antiquis, quibus olim ante aduentum Saxonum vocitabantur. Sed ad Monam redeamus. Noſtrates omnes & Incolæ ipſius Inſulæ (eadem hac antiquiſsima lingua vſi) nullum aliud eius nouêre nomen præter **Mon**, ita ab omnibus vocitatur. Polydorus Angliſeam, id eſt, Anglorum Inſulam appellat, fateor hanc inſulam ab Anglis domitam eorum nomine decoratam fuiſſe, & Anglos ita eam vocare: Sed obſecro, an cum Anglis emerſit Inſula, vel nullum habuitante Anglorum aduentum nomen? heus expergiſcere Polydore: eadem ratione, nec Anglia erit Brytannia, nec Francia Gallia. Sed quod magis eſt, in hac Inſula Incolæ (quamuis Anglo ſubditi) nec quid ſit Anglus, nec Angliſea, norũt, cùm Anglum **Sais** ſingulari, plurali verò **Saiſſon**, patriam ſuam dulciſſimam **Mon** appellant. Præterea, vrbs elegans ſuper illum ſinum contra Occidentalem Inſulæ partem extructa, haud procul à loco vbi olim Segõtiũ, Romanis cognita Ciuitas ſita erat, **Caeraruon** nũcupatur .i. Ciuitas ſupra Monã: nã **Caer** apud noſtrates vrbẽ muris cinctã, **Ar** ſupra ſignificant, ſed quod in vltima ſyllaba m, in u, mutatur, vult Idiotiſmus linguæ, nã in omnibus dictionibus incipientibus ab m, in contextu ſermonis illa poſt certas conſonãtes in u, vertitur, cuius loco noſtrates f, vtũtur, cũ u, ſemp vocalis ſit, vt dies Mercurij **die Mercher**, nox Mercurij **Nos fercher** dicũtur, ita Mariã **Mair**, Fanũ Marię, **Lhã Uair** vocam⁹ Nec ſolũ Vrbs, ſed totus ille Cõtinentis cõtra Inſulam tractus **Aruon**.i. contra vel ſuper Monam appellatur.

Eſto tamen hanc nõ fuiſſe Monã, debuiſſet Polydorus pro ſua authoritate aliud ei finxiſſe nomẽ, & nõ Anonymã reliquiſſe. Iam ad alterã accedamus, quam noſtrates **Menaw**, Incolæ omnes, Angli & Scoti, etiam Britannicũ nomen contrahentes, **Man** dicunt, itaque nemo hominũ (quod ſciam) præter Vrbinatẽ & quendam impuriſs. hominem Hectorem Boëthiũ Monæ nomine hãc decorauit. Sed relictis hijs luce meridiana clarioribus argumentis, ad authoritates deueniamus, quibus fulti, vtræque Inſulæ ſua genuina nomina tribuamus. Reſtat adhuc fragmentum antiqui ſcriptoris Gyldæ Brytanni, viri vndequaque doctiſsimi in ſingulari illa & omni genere bonorum Authorum refertiſſ. Bibliotheca, Illuſtriſſ. Herois & vnici inter noſtrates Doctorum virorum Mecœnatis, Domini mei ſuſpiciendi Hẽrici Arundelij Comitis, in quo hęc ver-
„ ba in deſcriptione Brytãniæ habentur: Tres habet Bry-
„ tannia Inſulas, Vectam contra Armoricas, ſecunda ſi-
„ ta eſt in vmbilico maris inter Iuerniam & Brytãniam.
Nomen eius Eubonia, vulgò **Manaw**. Audi optime Lector, Brytannum Brytannicè loquentem: nam ita nos vernacula lingua Monã Polydori hoc tẽpore voca-
„ mus. Beda etiã Anglus vir in omni literarũ genere cla-
„ rus, lib. ſuę Hiſtorię. 2. cap. 9. hęc habet verba: Quo tẽ-
„ pore etiam gens Nordan Humbrorũ, hoc eſt, ea natio
„ Anglorũ, quę ad Aquilonarẽ Hũbri fluminis plagã ha-
„ bitabat, cũ rege ſuo Edwyno verbũ fidei prędicãte Pau-
„ lino (cuius ſupra meminimus) ſuſcepit, cui videlicet
„ regi in auſpiciũ ſuſcipiẽdę fidei & regni cęleſtis poteſtas
„ & terreni creuerat Imperij, ita vt (qd' nemo Anglorũ

ante

ante eum fecit) omnes Brytanniæ fines, qua vel ipſo- ,,
rum vel Brytonum prouinciæ habitabantur, ſub ditio- ,,
ne acceperit. Quin & Menanias Inſulas, ſicut & ſuprà ,,
docuimus, Imperio ſubiugauit Anglorũ : hîc ego cre- ,,
diderim Menauias pro Menanias ſcribi oportere, cùm ,,
facilis ſit lapſus ab n, in u. Hẽricus præterea Huntyng-
tonenſis Eccleſię Archidiaconus, hiſtoricus egregius,
qui ſcripſit circa annum noſtræ Redemptionis 1140.
Bedæ veſtigijs inhærens, hunc lapſum declarare vide-
tur. Edvvyni Northumbrorum Regis potẽtiam & vi-
ctoriam enarrãs in hęc verba prorumpit: Edvvyn Rex ,,
Northumbrorum, cunctis qui Brytanniam incolunt ,,
Anglorũ pariter & Brytonum populis præfuit, præter ,,
Cantuarios, nec non Menauiam Inſulã, quæ inter Hi- ,,
berniam & Brytãniam ſita eſt, & vulgò **Man** dicitur, ,,
Anglorũ ſubiecit Imperio. Notãdum hîc eſt, hũc An-
glum, Anglicũ etiam Inſulæ (quam Vergilius Monam
falsò vocat) tribuiſſe nomen: nam **Man** vulgò (inquit)
dicitur, quo nomine ab Anglis in hũc diem nota eſt. Et
præter hos, Ranulphus Ceſtrenſis in ſuo Polychroni-
co libro primo, cap. 44. ita de Inſulis Brytanniæ vici-
nis loquitur: Brytannia (inquit) tres habet Inſulas ſibi ,,
adiacentes (pręter Orchades) quæ tribus eius principa- ,,
lioribus partibus quaſi reſpondere videntur. Nam Ve- ,,
cta adiacet Loegriæ, quæ nunc Anglia dicitur : Mona, ,,
quæ ab Anglis **Angliſea** vocatur, ad Cambriam (quæ ,,
& VVallia eſt) pertinet: Inſula verò Eubonia, quæ ,,
duo alia habet nomina, Menauia ſcilicet & Mania, ,,
Scotiæ contermina eſt. Hæ tres, Vecta, Mania, & Mo- ,,
na, eiuſdem ferè ſunt quantitatis. Hæc ille. Quòd Gil-

das & alij hanc Inſulam Euboniam Latinè vocãt, hinc videtur originem traxiſſe, quòd ab eadẽ natione, nẽpè Iuernica, à qua & Euboniȩ (quas Hebrides aliqui dicunt) incoletur. Beda & Huntyngtonenſis Brytãnico nomini Manau, cùm Menauiã appellitant, alludere videntur: ſed nulli horum Mona dicitur. Ex hijs argumẽtis & teſtimonijs liquet, Monam, eam eſſe Inſulam, quam Incolæ (vt ſuperius dixi) Monam etiam vocant, nullo alio nomine cognito, & quæ Anglis Angliſea dicitur: altera verò, quæ Polydoro & in eius luto hærentibus Mona dicitur, à Gylda Eubonia, ab Huntingtonenſi Menauia, ab alijs Mania vocitatur. Hîc finem (vno, quod inſtar multorum erit, prius in medium adducto teſtimonio) faciam: nempè Sylueſtris Gyraldi Cambrobrytanni viri non minus natalibus illuſtris, quàm eruditione clari, vtpotè ex Nobili Gyraldorum familia ortus, quibus debent Reges Angliæ deuictam Iuerniam; & ipſi Regi Henrico ſecundo chariſsimus, ac filio eius Ioanni, à Secretis fuit: cuius nomen in Decretis Pontificum Romanorum (quòd cùm Epiſcopus eſſet Meneuenſis, cum Archiepiſcopo Cantuarienſi de prærogatiua eius Eccleſiæ certaret) eſt admodum celebre: ille inquam in libro cui titulum fecit Itinerarium Baldvvini Archiepiſcopi Cantuarienſis, Crucem in infideles per Cambriam prædicantis, cuius etiam indiuiduus Comes fuit, hæc de Mona Inſula memoriæ prodidit: „ Craſtino tranſiuimus per Caſtrum de Caeraruon, & per valles & montes difficiles ad Bangor peruenimus, ab Epiſcopo decenter exhibiti, cuius nomen Guianus, qui ad Crucis ſuſce-

ptionem

ptionem ferè compulſus, cum magna lamentatione & vociferatione hominum vtriuſque ſexus: Inde in Monam Inſulam duobus millibus paſſuum inde diſtantium tranſiuimus, breui maris brachio tranſnauigato, vbi iunior Oeni filius Rothericus, cum Incolæ totius & terrarum adiacentium populo, deuotus nobis occurrit: ibi facto quaſi Theatro in petroſis rupibus propè littus, prædicanti Archiepiſcopo & loci Archidiacono Alexandro, multi ad Crucem ſunt allecti: ſed Iuuenes electi de familia Rotherici, qui contra nos ſedebant, nullo modo allici poterant ad Crucem ſuſtinendam: quorum aliqui paulò pòſt dum prędones ſequerētur, occiſi, alij vulnerati, vltronei in carne ſibi inuicem Cruces affixerunt. Rothericus Reſi Principis filiam ſibi tertio gradu cognatam, vxorem habuit, quam nullis monitis à ſe pellere voluit, ſperans inde auxilium contra fratris filios, quos exhæredauerat: at paulò pòſt illi omnia recuperauêre. Habet hæc Inſula. 343. Villas, & tamen pro tribus cantredis habetur: habet Brytannia tres Inſulas ſibi adiacentes eiuſdem ferè quantitatis, ab Auſtro Vecta, à Zephyro Mona, à Circio Mania: ſed duæ priores propinquius Continenti adiacent, modicis diſtinctæ maris interſtitijs: tertia verò, quæ Mania dicitur, medio inter Hibernicam, Vltoniam & Scoticas Galouidias libramine iacet. Mona verò, ab Incolis **Mon mam Cymbry** ob tritici fertilitatem, dicitur. Et poſtea, Hugo comes Sloпesburienſis & Arundelij, cum Hugone Comite Ceſtrenſi, cùm hanc Inſulam vi ingrederetur, canes in Eccleſia ſancti Fefridanci no-

cte

,, cte occluſit, quos omnes manè rabidos inuenit, & ipſe
,, poſtea à piratis de Orcadibus venientibus, quorum
,, Princeps Magnus ſagitta in oculo (quæ pars corporis
,, ſola ferro nuda erat) ictus à naui per ipſum Magnum,
,, in mari mortuus cecidit: quod videns Magnus, dixit
,, Danica lingua, **Leit loupe**, quod ſignificat, ſine eum
,, ſaltare. Item cùm Henricus ſecundus exercitum in Venedotiam ducens apud Caleshull, bellicam aleam in
,, arcto ſylueſtri expertus eſt, claſſem in Monam miſit,
,, quę Eccleſiam prędictā cum alijs locis ſpoliauêre: vnde ab accolis, multi à paucis, armati ab inermibus, victi,
,, vulnerati, & capti, & interempti ferè omnes fuêre.
,, Fuerāt duo Nobiles viri, & eius qui ſcripſit hæc Auunculi, cum alijs huc à Rege miſsi, Henricus ſcilicet Regis Henrici primi filius, & ſecundi Auūculus, ex Nobili Neſta Reſi filij Theodori filia, in Auſtrali Cābria
,, Demetiæ finibus oriundus, & Stephani filius Henrici
,, frater non germanus, ſed vterinus, vir qui noſtro primus tēpore alijs viam præbens, Hibernicam non longè pòſt aggreſſus eſt expugnationem, cuius præconia
,, vaticinalis depromit hiſtoria. Hēricus nimia fretus audacia, bonaq; deſtitutus omnino ſequela inter primos
,, lanceis confoſſus occubuit. Robertus verò de defenſione diffidens, vix ad naues grauiter vulneratus euaſit.
,, Hæc Inſula foris ſterilis & hiſpida vt terra de Pebidion propè Menauiam apparet, quamuis multis fertiliſsima: Hucuſque Gyraldus. Quid vnquam planius aut dilucidius de Monæ nomine, loco, fertilitate q; & incolarum ſtrenuitate: etiam de alterius Inſulæ & ſitu & nomine, literis mandari potuit?

tuit: Idem Author in ſua Cambriæ Topographia, ita de hac Inſula loquitur: In Northvvallia inter Monam & montes Eryri, ſedes Banchorienſis Danielis patrocinio gaudet. Et iterum: Totius autem VValliæ ſicut Auſtralis pars circa regionem Cereticam, & præcipuè Demetiam campeſtri planicie, maritimoque littore longè amœnior eſt, ita Borealis Venedotia, & ſitu terrarum munitior, & robuſtis virorum cordibus fœcundior, vbique gleba fertilior eſſe dignoſcitur. Nam ſicut montes Eryri, cunctis VValliæ armentis in vnum coactis ad paſcua, ſic Mona Inſula tritici fertilitate, toti VValliæ fertur aliquandiu ſufficere poſſe. Hijs lectis & penſiculatis, quis hominum ita ſtupidus, qui dubitet Angliſeam Polydori veram eſſe Monam Druydum ſedem, & Romanis armis literiſque nobilitatam? Aliam verò Inſulam Brytannis Manau, Anglis verò Man dictam, quam ille, & alij viri docti ex eius lacunis turbidam bibentes, Monam falsò appellauêre, rectius Monarinam vel Monaidam, vt Ptolemæus: Euboniam, vt Gildas: aut Menauiam vt Beda, & Huntyngtonenſis: aut Maniam vt Giraldus, dici oportêre. Plura etiam, & argumenta, & doctorum virorum teſtimonia in medium adferre poſſem: ſed ne lectori tædium adferam, hijs in præſenti ſuperſedebo: non dubitans, quin hæc omni viro docto, & in hiſtorijs Brytannicis exercitato, ad omnes aduerſariorum calumnias diluendas ſatis firma eſſe videntur. Igitur te, pro eo quo præditus es candore & humanitate, oratum velim, vt hæc qualiacunque ſint, boni conſulas, Monamque noſtram ſuæ priſtinæ gloriæ, typis tuis re-

ſtitues. Speroque me propediem tibi non ſolùm Monæ, ſed etiam totius Cambriæ certiſsimam deſcriptionem nominibus tum Antiquis, Romanis, & Brytannicis, tum Anglicis modernis illuſtratam miſſurum. Angliæ etiam Chartam Geographicam, additis ex Ptolomæo, Plinio, & Antonino, antiquis nomenclaturis, vt Hectoris Boëthij innumera mendacia hinc facilius dignoſcantur, in quem Lælandus noſter aptiſsimum ædidit Epigramma,

Hectoris hiſtorici tot, quot mendacia ſcripſit,
Si vis vt numerem, Lector amice, tibi?
Me iubeas etiam fluctus numerare marinos,
Et liquidi ſtellas connumerare Poli.

Habeo etiam exactiſsimam tractus maritimi Scotię deſcriptionem, quę omnia cùm Londinum venero (quod Deo fauente ante finem Aprilis fiet) ad te mittam, ex quibus virorum quorundam doctiſsimorum manifeſti patebunt errores: qui imperitis quibuſdam nimium fidentes, ſitus, & nomina multorum locorum, Vrbium & Fluuiorum, in Chartis ſuis Geographicis ſatis infœliciter, & multum à vero aberrantia depin-

depinxêre. Interim te bene valere iubeo, & ſi quid aliud ſit, in quo tibi placere poſsim, non roges, ſed imperes, quod voles. Richardus Cloughus, vir integerrimus & contractæ inter nos amicitiæ Author, idemque cõmunis noſter amicus, & literas tuas ad me perferendas dabit, & meas tibi (pro ea quæ inter nos eſt familiaritate) reddet. Vale dulciſsime Orteli.

Denbighiæ, Northvvalliæ ſiue Guynedhiæ. quinto Aprilis.
1568.

Tuus per ſaxa per ignes, Humfredus Lhuyd Denbighienſis, Cambrobritannus.

DA
130
.V5
P7
1573
c. 1

Bib Fict

12491

CKP
AF